D. PHILIP. FRIDERICI HANE,
CONSILIARII ECCLES. ET SUPREMI CONSISTORII,
SS. THEOLOG. ET HIST. ECCLES. ATQVE CIVIL. PP.
ACADEMIAE KILIENS. H. T. PRORECTORIS,

ORATIO
DE
ARTICULORUM SMALCALDICORUM AUCTORITATE, EADEMQUE SYMBOLICA,

SUB AUSPICIIS
MAGISTRATUS ACADEMICI
DIE X. APRIL. H. A.
PUBLICE RECITATA,
ET CUM
OBSERVATIONIBUS ALIQVOT
CRITICIS ET HISTORICIS
EDITA.

KILIÆ,
IN OFFICINA BARTSCHIANA
ANNO MDCCXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. P.

Hoc ipſo, quem nunc vivimus, anno annos bis centum decurrimus, ex quo Chriſtianæ reipublicæ, D. Lutheri auſpiciis & laboribus puritati, integritatique ſuæ reſtitutæ, peculiare aliquod beneficium obtigit, cujus memoria omnibus, qui caſtiora ejus ſacra corde amplectuntur & ore profitentur, jure meritoque adhuc ſacra ac digna etiam habetur, quæ animo pioque cultu, occaſione id ita ferente, ab ipſis recolatur. Quæ enim tunc erant Vejovis Romani molimina, ut concilio, more modoque Eccleſiæ juribus parum congruo, indicto, omne id, quod pro luce Evangelica & ſacrorum puritate reducenda hucusque confectum erat, peſſundaret iterum, & in priſtinum, ſi ita daretur, tenebrarum, ſuperſtitionis & ſervitutis Papalis ſtatum detruderet; hæc omnino Eccleſiæ tum emendari cœptæ rectoribus neceſſitatem impoſuerant, habendi Smalcaldiæ, in Franconiæ & Thuringiæ finibus, conventum ſolemnem, in quo & ſuis & Eccleſiæ laborantis rebus conſulerent, & quæ imminentibus iſtis periculis æqua eſſent, remedia circumſpicerent. Erat in his edenda confeſſio fidei, eademque publica, in qua doctrina cœleſtis, quam ante hos ſeptem annos Principes & Status quidam Imperii jam in auguſtis illis Auguſtanis comitiis publice profeſſi, & partis noſtræ doctores privati maſcule hucusque tutati erant, denuo repeteretur, idque palam & citra ullam circuitionem ſignificaretur; in

Digitized by Google

quibus capitibus conſtanter permanendum, nec transverſum digitum in gratiam Pontificis & ejus aſſeclarum concedendum ſit. Probatum in hac cauſa piorum confeſſorum noſtrorum animum, heroicum & prorſus invictum, jure eundem habebit omnis ætas poſtera, quem animo haut ingrato agnoſcat, ſed dignis, quas promeruere, laudibus celebret & æternitati conſecret. Mihi quidem, cum ſub auſpiciis collati in me iterum muneris Pro-Rectoralis Academici aliquid dicendum eſt, haut longius argumentum dicendi aliquod diſpiciendum, ſed id, quod ita prope erat, dignum ſatis viſum fuit, ut de edita ibidem confeſſione, quæ inde *Smalcaldicorum articulorum* nomine venire cœpit, verborum aliquid ad præſens inſtitutum facerem. Non autem hiſtorico duntaxat ſtylo, quippe quod alibi jam a me in libro publicis typis excuſo factum eſt, (*) quæ in hanc rem dici poterant, perſequar; ſed ad illas munerum meorum partes reſpiciens, quæ pragmaticum aliquod dicendi

(*) In *Hiſtoria ſacror. a b. Luthero emendatorum* P. II. Cap. III. §. XIV. p. 101. ſq. ubi quidem per ſumma tantum capita rerum huc pertinentium commemoratio a me facta, ad fontes tamen & præſidia alia ſimul remiſſum eſt. Neque etiam abhinc novorum in hanc rem documentorum proventum nobis a quoquam datum eſſe memini; Cel. quidem Jo. Georg. WALCHIUS in *Introduct. ad LL. Symbb.* Jen. 1732. in 4. vulgata, Lib. I. Cap. V. itemque Dan. Laur. SALTHENIUS in Diſſ. peculiari *de Articulis Smalcald.* Regiomont. 1729. habita, prolixius hoc argumentum perſecuti ſunt, uſi tamen Seckendorffii & aliorum potiſſimum præſidiis, quæ pridem extiterunt. Quam dudum Jo. Conr. GEISTHIRT, Iſenacenſis Scholæ Collega, patriæ ſuæ, Smalcaldiæ hiſtoriam molitus eſt, de quo vid. Diarium Lipſienſ. ſub tit. *Neuer Bücher-Saal* Tom. III. p. 840. ſqq. & *Nova literar. Lipſ.* German. ad a. 1723. p. 110. ſqq. novorum omnino ſpem nobis quoad hanc etiam cauſam fecit; ſed quod deinde in iisdem *Nov. literar.* ad a. 1728. p. 342. nunciatum eſt, MS. iſtius hiſtoriæ Smalcald. ab auctore redemptum tranſiiſſe in tabularium principale Haſſo-Caſſelanum, nos ſane dubitare jubet, an ex cancellis iſtis unquam in publicum hiſtoria iſthæc egreſſura ſit.

Digitized by Google

cendi genus a me exigunt, de articulorum eorundem *auctoritate, eademque ſymbolica,* in præſenti diſſeram: quæ res cum ejusmodi ſit, ut eam non modo, quæ confeſſioni ante bina ſecula editæ adhucdum habenda eſt, dignitatem propius ob oculos ponat, ſed & cauſam omnium eorum tangat, qui fidem ſuam, eamque juratam, ejusmodi formulæ, in ſymboli locum evectæ, etiamnum adſtringere tenentur: ita hinc fore, ut, quam officioſiſſime & humaniſſime a me rogati, A. O. O. H. per horulæ alicujus intervallum aures faciles atque benignas eidem commodaturi ſint, ſpem nec vanam nec omnino incertam ingredi licebit.

Eorum, A. H. qui Eccleſiæ noſtratis Librorum Symbolicorum auctoritatem generatim iverunt ſtabilitam, ingens ſane numerus eſt: (†) ſolet autem iis, qui in hac cauſa vel cum præcipua quadam laude verſati ſunt, ut plurimum nihil eſſe prius, nihilque antiquius, quam ut ad unicam fidei noſtræ cauſam & normam, quæ verbo DEI ſcripto comprehenſa eſt, mox provocent, & quomodo Libris noſtris Symbolicis cum eadem ad amuſſim conveniat, diſſenſus autem omnis e medio tolli poſſit, operoſe ſatis

(†) Recenſum ſcriptorum, qui de auctoritate LL. Symbb. tradiderunt, daturus laudatus Jo. Georg. WALCHIUS l. c. Lib. II. Cap. I. §. VI. p. 917. provocat ad Jo. FABRICIUM, Helmſtad. in *Hiſtoria Bibliotheca* P. IV. p. 263. Sed locum hunc, ex Fabricio allegatum, propius intuenti, id facile animadvertetur, adductos ab eodem ſcriptores ex majori parte eo tendere, ut Librorum Symbb. auctoritatem infringant potius quam ſtabiliant. Intelligere hoc in proclivi erat, ſiquidem nominatis ex recentioribus ſymbolo-maſtigibus non unis, vix occurrit aliquis, qui ipſis præcipue antidoton poſuit; atque *Fechtii*, *Wernsdorffii*, *Sontagii*, *Schelguigii*, *Hannekenii*, *Seligmanni* & aliorum quorundam labores & in hanc rem editæ commentationes, quas ipſe hinc Walchius in tractatione ſua paſſim advocat, eo loco & numero jure meritoque habentur, ut iis, qui ſuperiori ævo auctoritatem ſymbolorum noſtrorum contra Papæos et Reformatos defenſitarunt, nunc cummaxime accenſeantur.

Digitized by Google

nonnunquam oſtendant. Non male ſic quidem agi fatendum nobis eſt, nec probandi hunc demonſtrandique modum ut improbemus, nobis ſumimus; ſiquidem quod auctoritatem, eandemque internam, Symbolicis Eccleſiæ Libris conciliat, ad hanc demum velut cauſæ arcem redeat, ut omnimoda eorum convenientia cum primo veritatis Evangelicæ principio, quod Scriptura S. eſt, liquido oſtendi queat. Cum autem negocio hoc vel ſatis etiam feliciter confecto, haut ſtatim cuilibet obvium ſit, quis inter Librorum Symbolicorum cum Sacra Scriptura convenientiam & eorundem auctoritatem nexus intercedat, atque quæſtiones etiam hinc difficiliores de ratione normandi, de divinitate item, ac ipſa etiam θεοπνευστία horum librorum enaſcantur; juvat ad ambiguitatis materiam circa hanc cauſam magis præcidendam, rem paulo altius repetere, atque diſtinctius evoluere, quænam genuina auctoritatis ejusdemque ſymbolicæ notio ſit, quo facto non modo de Libris ſymbolicis generatim, ſed & ſeorſim de Articulis Smalcaldicis hinc tutius rectiusque hanc quæſtionem decidere licebit.

Auctoritatem igitur omnimodam is habere dicitur, cujus dignitas tanta & tam manifeſta eſt, ut dictis ejus aſſenſus, præceptis vero ejusdem atque mandatis obſequium illico præſtari debeat. Quod in hac auctoritatis determinatione reperimus, ad utramque humanæ mentis facultatem pertinet, ſiquidem aſſenſum haut citra intellectus convictionem, obſequium vero haut citra aliquod in voluntatem imperium a quoquam impetraveris. Ut aſſenſum ab intellectu noſtro impetret quispiam, ab ejusdem ſapientia & veracitate eſt, ut vero obſequium eidem præſtet voluntas,

tas,

Digitized by Google

tas, ab ejus in nos poteſtate eſt: ſequitur hinc, ut illum ſapientia & veracitate, quin & poteſtate præditum eſſe oporteat, cui deſcripta ejusmodi omnimoda in nos auctoritas competere poſſit. Hujusmodi in nos auctoritas Dei, ſupremi Numinis eſt, cujus infinitæ, quas habet, perfectiones, inque his ſapientia & veracitas, intellectum noſtrum ad fidem & aſſenſum dictis ejus præbendum, poteſtas vero in creaturas omnes, ab ipſo conditas, abſoluta & ſumma, voluntatem, ad obſequium præceptis & interdictis ejus præſtandum, tam valide efficaciſſimeque permovere debent, ut ſi alterutrum horum ipſi denegare vellemus, id non ſine ſumma in ipſas infinitasque illas Dei perfectiones injuria fieri poſſet. Eodem modo & in ſocietate humana comparatum eſt cum iis, qui auctoritate inter cæteros pollent, ut quantum quis præſtet aliis ſapientia & veracitate, tanto majorem fidem & aſſenſum dicta aſſertaque ejus impetrent, quod ipſum eſt, quod auctoritatem cuipiam in intellectum aliorum conciliare poterit atque debebit. Quoad voluntatem autem obſequium is conſequetur, cujus in alios poteſtas tanta eſt, ut non modo vi imperii, quomodocunque acquiſiti, ſibi ſubjectos ad juſſa atque præcepta ſua adſtringere, ſed &, ſi forte reluctaturi ſint, ad eadem ſervanda, adhibitis pœnis vel hujusmodi legalibus mediis cogere poſſit: ſicuti autem a poteſtate, hoc modo a nobis deſcripta, id eſt, ut ſubjectus quisquam obſequium ſuperiori ſuo denegare haut ſuſtineat, ita & quomodo auctoritatem in voluntatem aliorum habere quis dici queat, ex eo ſatis colligi poſſe exiſtimamus. Multum tamen inter id, quod divinæ & quod humanæ auctoritatis eſt, differre ſimul ex eo conſtabit: ſiquidem quanta quanta multorum ſapientia & veracitas eſt, tamen non eſt

tanta,

tanta, ut, ſi vel maxime etiam de vera rectaque eorum ſententia, in dictis vel ſcriptis illorum dilucide propoſita, conſtare omnibus poſſit, aliorum etiam ſapientum, ne dicam multitudinis omnis, aſſenſum illico ſibi conciliare queant: hoc enim ſi conſequi daretur, non modo omnis mox inter eruditos homines diſſenſus, & tot ſententiarum divortia, ſed & rudioris plebeculæ ignorantia e medio ſublata forent. Cum humana autem in voluntates aliorum auctoritate ita habet, ut, quanquam propter abſolutas & illimitatas quorundam imperiorum leges, obſequium etiam, quod ſuperiori a ſibi ſubjectis præſtandum eſt, nullam reſtrictionem admittat, non tamen id ſemper ſubindeque cum imperio in intellectum ſubditorum conjunctum ſit, ut illos de veritate & rectitudine juſſorum ſuorum ſimul perſuaſos habere queant. Hinc enim eſt, quod in judiciis humanis, iisque bene conſtitutis, ubi illud in voluntates hominum imperium alioquin jure riteque valere debet, id ſœpenumero uſu veniat, ut a judice male informato ad melius informandum provocetur, Eſt vero & illud, quod poſthabita auctoritate, quam per ſapientiam & juſtitiam juſſorum ſuorum in ſubjectorum animos conſequi fas eſſet, ſola illa in voluntates illorum poteſtate utplurimum nitantur quidam imperantes, ubi ſuo duntaxat arbitratu jubent, quicquid jubent, parum de eo ſolliciti, ut edictis ſuis parentes de ſapientia & æquitate legum ſuarum convictos habeant, ſed potius id ſatis ſibi eſſe putantes, ut ea, quæ Galliarum Regi ſolennis eſt formula: *Tel eſt notre plaiſir*, easdem obſignare queant.

Hucusque adducta eo facere exiſtimamus, ut genuinam & adæquatam auctoritatis ideam generatim inde haurire liceat; in quibus, ut quid inter illud differat, quod intel-

Digitized by Google

intellectus & voluntatis ratione auctoritatem efficiat, ſatis explicatum eſſe putamus, ita ſpecialius etiam ad ſymbolicæ auctoritatis notionem evolvendam & explicandam nunc progredi poterimus. Ex præcedentibus autem jam id quodammodo patere poteſt, quod quæ ſubjectis quibusdam ſive perſonis inhæret auctoritas, eadem & dictis ſcriptisque ab iisdem prolatis jure riteque tribui debeat: nam quin eam, qua Deum in creaturas ſuas rationales gaudere docuimus, auctoritatem & verbo ejus, quod ſcripto comprehenſum voluit, adſerere queamus, haut amplius dubium nobis relinquitur, ſiquidem de eo conſtiterit, quod id, quod verbi divini nomine & loco nobis habetur, Deum auctorem ſuum agnoſcat. Atque eodem modo cum Regum ac Principum edictis & juſſionibus comparatum eſt, ut auctoritatem iisdem impune derogare haut liceat ſubditis, ſiquidem rite illis manifeſtatum atque patefactum eſt, quodnam obſequii genus ſuperioris poteſtas voluntati illorum impoſuerit. Quin & contingere perſæpe poteſt, ut, ſi Princeps accedat ſubditos ſuos, quibus de facie haut notus eſt, non eam ipſemet apud eosdem reperiat auctoritatem, quam dicta atque reſcripta ejusdem dudum in animis eorum conſecuta erant. Sed vero, quid hujus rei inſtituta conſideratio ad ſymbolicæ auctoritatis indolem, quam ſeorſim nobis explicandam ſumſimus, momenti afferat, nunc porro preſſiusque edisſerendum erit. Ad ipſam ſymboli vocem, quod attinet, eorum ſententia, quæ a ſignis militaribus eandem ad Chriſtianæ religionis militiam translatam eſſe perſuaſum habet, facile reliquis palmam præripit: (*) nam quemadmodum

(*) Hanc vocis ſymboli acceptionem jam cæteris prætulit ERASMVS Roterod. in *Declarat. ad Cenſur. Facult. Pariſ.* Tit. XI. Tom. Opp. IX. p. 700. quam & poſt adoptavit & Ruffini, Iſidori atque Maximi Taurinenſ. auctoritate muni-

ſymbola velut ſigna & teſſeræ, *(Die Loſung, das Wort und die Parole)* militibus dari conſueverunt, ut inter ſe agnoſci & ab hoſtibus diſcerni poſſint; ita & iis, qui nomen ſuum militiæ ſub Chriſti ſignis in Eccleſia gerendæ obſtrinxerunt, hujusmodi ſymbolis fuit opus, ut unius doctrinæ confeſſores ſemet invicem cognoſcere & a diſſentientibus rite ſe diſtinguere poſſent: quemadmodum etiam ſignum aliquod, externis verbis a ſupremo, qui adeſt, copiarum duce prolatum, illud efficit, quod ſymboli iſtius militaris rationem habet, idque apud omnes, qui fidem ſignis ejus dederunt, omni illa auctoritate gaudet, quæ alioquin ipſi ordinum militarium præfecto competit; ita & in quolibet cœtu credentium, in quo Eccleſia quædam viſibilis ſub militia Chriſti in his terris colligitur, quilibet ejus caſtra ſecutus, ſymbola hujusmodi ex verbis ſupremi ſui capitis concepta ſuſcipiat & amplectatur oportet, quibus non minus auctoritatis, quam ipſi eidem ſuo capiti tribuat. Eſt hoc id ipſum, quod alioquin in Theologorum ſcholis docetur, Eccleſiam, ſive quemcunque credentium cœtum viſibilem, certis ſuis notis ſive criteriis externis gaudere, & ex illis dignoſcendum eſſe: quod vel ex ipſo ſanctiſſimi Servatoris noſtri inſtituto probatur, qui dum Apoſtolos & Diſcipulos ſuos in omnem mundum emi-

tam expoſuit Gerard. Jo. VOSSIVS *de Tribus Symbolis* Diſſ. I. §. 18. p. m. 34. ſq. poſt quem hinc multi eandem ſuo calculo approbarunt. Ridiculam illam vocis hujus derivationem, qua ſymbolum quaſi *σὺν* & *βόλον* ſ. *βῶλον* denotare creditur, quod ad Apoſtolorum ſymbolum translatum id inſinuet, quod quilibet ex Apoſtolis particulam, offam ſ. fruſtum ſuum ad ipſum contulerit adjeceritque, reperire licet apud Guil. DVRANDVM in Rationali divin. officior. Lib. IV. Cap. 25. quam nominis ſymboli notationem, licet ineptiorem, tamen multis illa ætate arriſiſſe, obſervatur *τῷ νῦν ἐν ἁγίοις* Doctori noſtro, Cel. Jo. Alb. FABRICIO, in *Codic. Apocryph.* N. T. P. III. p. 347.

Digitized by Google

emiſerit, ad colligendum ſibi cœtum fidelium, hanc illis legem tulerit, ut juxta cum baptismate initiationis ſacramento conferendo, docerent eos ſervare & retinere verba & juſſa omnia, quæ iis in mandatis dederit; (*) qui & hinc de Eccleſiæ ſuæ membris, quæ ſub ovium emblemate Joh. X. repræſentarit, id teſtatum fecerit, (**) quod eas non agnoſcat ut ſuas, niſi vocem ſuam audiant, & ſeipſum ſequantur. Veras & genuinas igitur Eccleſiæ notas non alias, quam puram verbi divini prædicationem & ſacramentorum juxta Chriſti inſtitutionem rectam adminiſtrationem eſſe, inde conficitur: ſed ſi reperire & agnoſcere illud velimus, an cœtus aliquis hiſce notis & criteriis gaudeat, tum publica ejusmodi fidei profeſſione, quæ nunc, ut dictum, ſymboli nomine venit, opus eſt; nam quod in privati cujusdam doctoris vel alius cujusdam membri placitis vel dogmatibus habetur, haud eſſe ejusmodi poteſt, ut toti cuidam cœtui tribui atque communis ſymboli loco eſſe queat.

Ex hucusque diſputatis ad oculum ſimul patere exiſtimamus, quodnam ſymboli alicujus conditi, vel etiam condendi, genuinum principium atque fundamentum ſit atque eſſe poſſit: non aliud nempe, niſi verbum Dei Triunius, quod, ſicuti ſanctioribus literis comprehenſum, unica fidei noſtræ tum inde hauriendæ origo & cauſa, tum etiam dijudicandæ norma & regula eſt; ita & viciſſim juxta hoc ipſum reddenda ſit ſymbolica fidei confeſſio, ex qua in ſtatum confeſſionis adducti cognoſci queant, an viſibilis in his terris Eccleſiæ pars ſint, & Chriſti, cœtus ſui Ducis & capitis, vocem audiant & ſequantur, Sed

 vero,

(*) Matth. XXVIII. v. ult. (**) Joh. X. v. 27.

vero, ſi quis inde ſcriptum Dei verbum, ſacræ Scripturæ canone comprehenſum, & ipſum tanquam adæquatum & idoneum fidei ſuæ ſymbolum agnoſcere & ſuſcipere malit, cum ut normæ & regulæ ita & confeſſionis vicem ſic præſtare poſſit, ut Symbolis exinde confectis tutius & rectius omnino carere queamus? Tum ſane iis, qui ſub ſpecioſo hoc ſatis obtentu Eccleſiaſticorum ſymbolorum oſores ſubinde ſe præbere ſolent, omnino ad animum revocandum eſt, quod eorum, qui S. Scripturæ autoritatem ſequi & amplecti ſe videri velint, non una eademque mens ſit de vero & genuino normæ & regulæ illius divinæ ſenſu, quem maleſana multorum interpretandi ratio, in continua jam inde ab Apoſtolorum tempore hæreſium ſucceſſione, ita ſubinde præverterit, ut ſententiarum ejusmodi portenta prodierint, in quibus maligni potius, quam ſancti Spiritus vocem agnoſcere quis debeat. Quodſi a perverſis hujusmodi interpretationibus libera & vacua manſiſſet, ac in ſenſus alienos & a mente Spiritus S. quam longiſſime remotos haut detorta fuiſſet S. Scriptura, verbum ac vocem Dei ad homines complexa, tum ſane norma ac regula fidei & confeſſionis alia, ex rectiori ejus ſenſu conficienda, tuto ſuperſedere potuiſſet cœtus Dei viſibilis: qui proinde hocce quicquid negocii in condendis hujusmodi ſymbolis ſibi impoſitum fuit, ex cauſa non alia ſuſcepit, quam ut unicum S. Scripturæ, tanquam regulæ fidei & vitæ divinitus nobis traditæ, ſenſum a falſis hæreticorum multorum interpretamentis & affictis perſæpe adulterinis gloſſematis liberum præſtaret. Urgens igitur neceſſitas fuit, quæ ſymbola & ſymbolicos libros nobis in Eccleſia peperit: quæ tamen neceſſitas non fuit abſoluta, quod ipſius religionis Chriſtianæ indoles ex interna ſua conſtitutione

Digitized by Google

tione eandem requiſiverit, & doctrinæ veritas ſine ſymbolorum adjumento conſiſtere, conſervari ac propagari nequiverit: ſed quod cauſa quædam & conditio externa acceſſerit, ut propter hominum multorum malitiam, & ipſius Diaboli in eosdem agentis mendacium, ſymbolorum præſidio opus fuerit; adeo quidem, ut hinc neceſſitatem eorumdem hypotheticam admittendam eſſe nemo non intelligat.

Hæc de ſymbolorum vera indole, ratione & origine paucis fuere declaranda, pluribus, ſi id opus foret, ex primitivæ Eccleſiæ & ſingulorum ſymbolorum exemplis facile illuſtranda & comprobanda. Sed ſcopo noſtro preſſius inſiſtentes, eo tantum, quæ in hanc rem dicta ſunt, transferemus, ut quid de auctoritate, ſymbolis hujusmodi ab Eccleſia conditis adſcribenda, ſtatuendum ſit, hinc in aprico magis collocare liceat. Ubi igitur ad auctoritatem requiri ſupra comprobatum eſt, ut ea in intellectu hominis per aſſenſum dictis vel aſſertis alicujus præbitum primum ac omnino ſe exſerat, tum quidem hujusmodi dignitatem ſymbolis vindicare poteſt veracitas illa, ad exemplar divinæ ſapientiæ & veracitatis in iisdem expreſſa: quemadmodum enim primarium ſymbolorum ſcopum & officium in eo conſiſtere docuimus, ut unicus & verus ſacræ Scripturæ ſenſus, per quem ſapientiæ ſuæ circa hominum ſalutem conſilia & decreta cum humano genere communicata voluit Deus, planior ſubinde certiorque reddatur, ſanctеque cuſtodiatur, retineatur, conſervetur & ad poſteros transmittatur, idque etiam caveatur, ne ex admixto falſarum perverſarumque opinionum fermento, unica illa veritas detrimenti aliquid patiatur, vel omnino

corrumpatur, ita quin propter arctiorem hujusmodi ſymboli alicujus cum S. Scriptura conſenſionem, & iſte, qui ipſi verbo Dei propter ſuam veracitatem debetur, aſſenſus in ipſum ſymbolum tranſcendat, animosque hominum ad eundem præbendum validiſſime commovere queat ac debeat, haut ſane dubium & ambiguum nobis relinqui poterit. Atque ſic & cum voluntatis habet obſequio, quod uti per naturam ſuam & indolem rectum intellectus judicium non poteſt non ſequi, pronoque adeo, ad amplectendas res ab intellectu ſatis cognitas & perſpectas, ferri impetu: ita &, ſi quid in faciendis omittendisve Chriſtianæ religionis juxta S. Scripturæ præſcriptum repetatur, exigaturque in Eccleſiaſtico aliquo ſymbolo, ea, quæ præceptionibus per communicationem illam, a divina norma factam, inhæret poteſtas, haut integrum relinquit voluntati eidem ſubjectæ, ut imperium ejus recuſare, aut præſtandum eidem obſequium impune detrectare queat. Omnimodam igitur, & quæ utrinque quoad intellectum æque ac voluntatem conditionibus & requiſitis ſibi debitis gaudeat, eſſe auctoritatem eandem, quæ in libros ſymbolicos cadat, demonſtratione hac confectum eſſe exiſtimare licet.

Sed & hinc, quid de divinitate eorundem, θεοπνευστίᾳ item, quin & ratione normandi, de quibus alioquin multum diſceptatur, arctius tutiusque ſtatuendum ſit, nunc facilius omnino nos interpretari poſſe putamus. Namque cum hæc ſingula ejusmodi affectiones & proprietates ſint, quæ alioquin ſacræ Scripturæ tum originis, tum objecti, tum quoque ſcopi & finis ſui intuitu, immediate attribui poſſint; tunc quidem, ſi hæc ipſa elogia ad Eccleſiæ purio-

ris

Digitized by Google

ris ſymbola transferri velint, nec eadem iisdem, propter arctiorem ſuam cum ipſo verbo Dei revelato convenientiam, prorſus omninoque denegare fas fuerit: differre tamen in eo admittendum erit, quod divinitas & θεοπνευστία, quæ ſacris literis per rationem ſuam formalem, immediateque competit, non niſi mediate & per participationem ſymbolicis libris adſcribi queat. Cum ratione autem normandi ita comparatum eſt, ut licet unica & ultima doctrinæ & fidei norma, quam & ipſa Eccleſiæ ſymbola admittere, & ad eandem exigi debeant, ſola S. Scriptura ſit, nihil tamen hoc impediat, quominus & ipſis dehinc ſymbolis normæ & regulæ dignitas tribui poſſit, quanquam intuitu S. Scripturæ pro ſecundaria, normata atque fidei profeſſionis & diſcretionis norma tantum haberi debeat. Quæ quidem normæ differentia & ipſorum quondam piorum confeſſorum noſtrorum animis inhæſiſſe intelligitur, quando in Epitome Formulæ Concordiæ mox ſub ingreſſu fatentur: *Unicam regulam & normam, ſecundum quam omnia dogmata, omnesque doctores, æſtimari & judicari oporteat, nullam omnino aliam eſſe, quam Prophetica & Apoſtolica ſcripta cum V. tum N. T.* & mox eadem ibidem his verbis repetunt: *Sola S. Scriptura judex, norma & regula cognoſcitur, ad quam ceu ad Lydium lapidem omnia dogmata exigenda ſunt & judicanda, an pia an impia, an vera an falſa ſint:* alibi tamen declarationibus etiam & confeſſionibus a ſe editis & exhibitis non omnem normandi poteſtatem derogant, ſed vel diſerte aliquoties in præfatione toti Libro Concordiæ, omnem ſymbolorum Eccleſiæ noſtratis ſyllogen complexo, præmiſſa, normam easdem haberi volunt, ad quam tum aliorum Doctorum Melanchthonis, Brentii,

Urba-

Urbani Rhegii, Pomerani & ſimilium ſcripta exigenda; tum etiam in controverſiis enatis falſa dogmata, juxta eandem examinata, repudianda atque damnanda ſint. (*)

Licet ſperare per hucusque diſputata, non modo quid ſit, ſed & qualis & quanta ſit, ac eſſe in Eccleſia poſſit ſymbolorum auctoritas, in luce quadam majori collocatum eſſe. Sed tamen hæc omnia tantum de auctoritate in ſe & abſolute ſpectata, quæ & a quibusdam interna dicitur, capienda erunt, quo nondum confecta res eſt de auctoritate externa & ad nos relata, cujus ratio in eo conſiſtit, ut nobis etiam conſtet, habere ſymbola tantam auctoritatem, ut iis aſſenſum atque obſequium præbere debeamus. Cardo hujus rei in omnimoda ſymbolorum cum S. Scriptura conſenſione, quæ unicum auctoritatis ſymbolicæ principium atque fundamentum eſt, itidem vertitur, de qua proinde, unde nobis perſpecta atque explorata reddatur, in quæſtionem venit. Poteſt hoc privato cuidam ſive individuo, v. c. Cajo vel Titio, obtingere, quandoquidem poſt inſtitutum examen dogmatum quorumcunque, in ſymbolo comprehenſorum, eadem cum norma normante, quæ S. Scriptura eſt, per omnia & quam exactiſſime

(*) Addatur, quod ipſa illa præfatio *Epitom. F. C.* quæ alioquin S. Scripturæ vim normandi unicam ita ſtabilivit, hac tamen inſcriptione gaudeat, quod in ea tradatur *de compendiaria regula & norma &c.* per quam cum Symbola, quæ hic ſigillatim enarrantur, cummaxime intelligant pii confeſſores, pluribus id hinc quomodo capiendum, & norma hæc applicanda ſit, exponunt in *Solida Declarat.* ubi compendiariam hanc doctrinæ formam fundamentum, normam ac regulam dicunt, ad quam omnia dogmata juxta analogiam verbi Dei dijudicanda & controverſiæ motæ pie declarandæ atque decidendæ ſint. Quæ ipſorum confeſſorum explicationes, tanquam certiſſimæ mentis eorundem de ſymbolis a ſe conditis teſtes, jure meritoque huc conferuntur.

Digitized by Google

ctiſſime convenire deprehenderit. Sed vero hoc nondum eſt, quod nobis hoc loco inprimis ſpectatur, quoniam hinc tantum privata quædam auctoritas prodit, quæ Cajum vel Titium aſſenſum & obſequium ſuum adjicere ſymbolo cuidam connotat. Quodſi enim aliis quibusdam veritatibus, juxta verbi divini normam, in ſcriptis vel ſacris etiam ſermonibus doctoris cujusdam privati, pure ſincereque propoſitis, eadem fides præbeatur, tribuaturque auctoritas, haut ſtatim inde ſymboli Eccleſiaſtici dignitas iisdem conciliatur. De eo igitur potius quæritur, unde id eveniat, ut ſcriptum aliquod hanc dignitatem conſequatur, per quam publicum ſymbolum & velut communis totius alicujus Eccleſiæ particularis fidei & confeſſionis teſſera evadat? De qua quidem quæſtione & id relinquendum eſt, quod hujusmodi ſcriptum non modo juxta regulam divinæ veritatis falli neſciam compoſitum eſſe oporteat, ſed & omnibus ac ſingulis cœtus illius membris de eo conſtare queat, quod in examine, publico aliquando nomine inſtituto, omnimodus ille hujus ſcripti cum S. Scriptura conſenſus repertus ſit: quæ res tum quidem id effecerit, ut publici hinc ſymboli dignitatem eidem conciliaverit, auctoritatemque addiderit publicam, ut nemini, qui poſthac in partem ſocietatis illius Eccleſiaſticæ venire voluerit, ab eadem recedere, aut aſſenſum eidem atque obſequium denegare integrum ſit. Cum hæc cauſa haut levis momenti, nec minus altioris indaginis ſit, ita non indignum habebitur argumentum, ut ex fide dignioribus, quæ haberi poſſunt, teſtimoniis & monumentis id oſtendatur atque comprobetur, quomodo cum *Smalcaldicis Articulis* ſeorſim negocium illud peractum ſit, ut inter cæteros Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ Libros

Digitized by Google

ſymbolicos & hi locum ſuum obtinuerint, publicamque eandem & externam, prout a nobis deſcripta eſt, auctoritatem conſecuti ſint: quod uti in altera & ſpecialiori hujus tractationis parte perſequi atque declarare conſtitutum eſt, ita poſtquam de auctoritate, eademque ſymbolica in genere, quod pro inſtituti ratione ſatis erit, hucusque dictum, nunc inoffenſo ad eandem pede progredi licebit.

Ipſum Megalandrum, *D. Martinum* LUTHERUM, quod vel nobis non monentibus conſtabit, licet auctorem habeant Smalcaldici articuli, (*) non tamen ab hoc auctore ſuo illis hæc acceſſit dignitas, ut in ſymbolicorum Eccleſiæ Librorum numerum referrentur, auctoritasque ſymbolica iisdem mox totius Eccleſiæ, auſu ejusdem intrepido & divinis procul dubio auſpiciis excitato & ſuffulto, a Papismi labe repurgatæ, communi publicaque voce deferretur. Cum enim ſcripta ejus fere infinita, pluribus magnisque voluminibus comprehenſa, proſtent, præter Catechismum tamen minorem majoremque, & hos deinde articulos, nullis præterea id obtigit, ut ſymbolari hujusmodi auctoritate armata munitaque ſint. Attendamus igitur oportet, ubi, quando & quomodo curatius examen aliquod inſtitutum, in quo conſenſus Articulorum horum cum

(*) Sermo nobis eſt de Articulis ſeorſim ſumtis & ſic dictis: nam quod tractatio *de Poteſtate & Primatu Papæ*, quæ velut appendicis loco in ipſis etiam LL. SS. iisdem ſubjungitur, Melanchthoni auctori debeatur, qui eandem juſſu Principum Smalcaldiæ compoſuerit, ex iisdem teſtibus liquet, quos ſupra excitavimus. Errorem illum, quem ſcriptor Pontificius *Lud. Jacobus a* S. CAROLO, in *Bibliotheca Pontificia* p. 455. ſq. erravit, dum *Articulum Alſmacaldum*, quem dixit, in hominem transformavit, qui de primatu & poteſtate Papæ librum ediderit, dudum notarunt alii & recentiſſime h. a. Cel. *Jo Henr. a* SEELEN, in *Obſervatt. ad Artic. Smalcald. Heptad.* Obſervatt. III. Ipſum tamen librum, rarius alioquin obvium, in noſtra etiam ſupellectile libraria oſtendere poſſumus.

Digitized by Google

cum S. Scriptura deprehenſus id demum effecerit, ut hinc commune ſuffragium ſecutum ſit, ad eosdem in ſymbolum, id eſt, fidei tum profeſſionis tum diſcretionis publicam teſſeram recipiendos. Quod hoc modo in quæſtionem venit, breviſſimis expedire & rotundiori reſponſo decidere haut licet; quanquam forte ſint, qui ſibi perſuaſum habeant, hoc quicquid negocii mox in ipſo Smalcaldenſi conventu a præſente Principum & Theologorum conſeſſu peractum eſſe; vel quod aliis placet, (*) publicam horum articulorum receptionem ex negocio Formulæ Concordiæ demum eſſe metiendam, quod in eadem diſerta eorundem inter cæteros Eccleſiæ ſymbolicos Libros dinumeratio habeatur, (**) per quam & id obtinuerint, ut hinc juxta cum reliquis uno volumine in ſic dicto Libro Concordiæ publicis typis excuſi ſint: nam licet utraque hæc reſponſio aliquid ex vero trahat, haut tamen ita comparata eſt, ut rem curatius putanti ſatisfacere poſſit. Nam utrinque eandem fallere, ex diſtinctiori illa, quam mox ingreſſuri ſumus, demonſtratione cuilibet, quod ſperare licet, ad oculum patebit: ubi id ſimul planum evadet, quod poſt eos, qui mox Smalcaldiæ hos articulos ſubſcriptione ſua firmarunt, & aliis poſthac integrum relictum hoc fuerit, ut calculum iis ſuum adjicere potuerint: & dum ipſa Formula Concordiæ non omnium mox approbationem nacta eſt, eo tamen haut quoque Articulis Smalcaldicis præjudicatum ſit, ut eorundem auctoritatem ſimul repudiandam ſibi ſumſerint.

 Cum

(*) Cel. WALCHIVS, receptionem in Smalcaldenſi conventu factam velut incertam & ambiguam deſerens, publicum receptionis illius teſtimonium ex præfatione Form. Concord. unice advocat, l. c. Lib. I. Cap. V. §. X. p. 503. ſq.

(**) In præfat. ad *Epitom. F. C.* p. 571. edit. Rechenberg. & iterum in præfat. *Solid. Declarat.* ibid. p. 634 & 635.

Cum ipſo igitur conventu Smalcaldenſi, (*) qui ante hæc bina ſecula articulos noſtros produxit, iisque nomen indididit, res ita habet, ut illis jam tum quoque ſymbolicam auctoritatem additam fuiſſe, prorſus negandum non ſit. Nam formula confeſſionis his articulis comprehenſa, quam D. Lutherus juſſu Principis ac Domini ſui, Electoris Saxoniæ, germanico idiomate conſcripſerat, & cum collegis ſuis, Theologis Wittebergenſibus, jam communicaverat, convocatis & accitis ex univerſa fere Germania, quæ tum quidem emendatis ſacris publice addicta erat, doctoribus exhibebatur, eorundemque examen ſubibat, ita inſtitutum, ut articulorum horum cum S. Scriptura per omnia conſenſum exquirerent; quem ſibi compertum eſſe tum diſerte, qui inter præcipuos erat, Jo. Brentius, (**) tum ad unum omnes, quorum ſupra XL. aderant, manus ac nominum ſuorum ſubſcriptione palam teſtatum faciebant. (***) Quod ſane ejusmodi fuit, ut Lutherus in præ-

(*) Septem omnino conventus Smalcaldiæ religionis cauſa, eosque vivente Luthero, celebratos dinumerat SALTHENIVS l. c. §. 11. e quibus hunc, qui a conditis his noſtris articulis cummaxime commemorabilis eſt, quinto loco ponit.

(**) Litteræ Brentii, quibus diſcedens Smalcaldia d. XXIII. Febr. rogavit Jo. Bugenhagium, ut ſuo nomine tum his articulis & libello Melanchthonis de Papatu, tum conditis prioribus ſymbolis ſubſcriberet, integræ ſubjectæ leguntur ipſis LL. Symbb. editionibus, poſt ſubſcriptiones Theologorum ad Tractat. de Poteſtat & primat Papæ: Ubi inter alia id teſtatum facit, *hæc omnia convenire cum ſacra Scriptura & cum ſententia veræ & γνησίης catholicæ Eccleſiæ.*

(***) Poſt ea, quæ de peracta hac ſubſcriptione ex SECKENDORFFIO a me annotata ſunt in *Hiſt. ſacr. emendat.* l. c. diligentius in eandem inquiſiverunt WALCHIVS l. c. §. VII. p. 495. ſq. item Jo. Dan. KLVGE atque laudatus a SEELEN, uterque hoc anno & ille quidem in commentatione peculiari vernacula, hic vero l. c. Obſervat. 1. De Jo. ÆPINO, Hamburgenſi, Melanchthonis ſuffragio, de poteſtate Papæ ex jure humano, primum aſſurgente, ſed mox mutata hac mente hunc datum a

Digitized by Google

præfatione editionis primæ, proximo abhinc anno a ſe curatæ, quæ etiamnum in libris noſtris ſymbolicis legitur, ex vero omnino adſerere potuerit, hos articulos a ſe conſcriptos & in Smalcaldenſi conventu exhibitos, tum a noſtris receptos & unanimi confeſſione approbatos eſſe; licet enim receptio hæc & approbatio opera tantummodo Theologorum & Doctorum Eccleſiæ hic congregatorum peracta ſit, non tamen ſuo tantum, ſed & Principum & Statuum, quorum ad hoc juſſis & mandatis inſtructi erant, quin & omnium Eccleſiarum, quarum curam gerebant, & quas velut in legitima ſynodo repræſentabant, nomine hoc ab iisdem factum eſſe, cum ipſo Luthero rite interpretari fas erit. (*) Nec ſatis cauſæ hinc fuiſſe exiſtimamus illuſtri ſcriptori, Vito Ludovico a *Seckendorff*, ut de receptione hac procerum auctoritate in hoc conventu facta, dubia adhuc quædam moverit, eorundemque rationes aliquot exhibuerit in Commentar. de Lutheraniſmo Lib. III. §. LV. addit. n. (g) p. 153; ſiquidem vel ipſe abs Viro ſummo deſcriptus, & inde potiſſimum a nobis etiam repetitus receptionis modus, omnem de hac cauſa dubitandi locum præcludit; ut proinde etiam ſcriptoris illuſtris interpres germanicus, Cl. Ulmenſium adhuc Theologus, Elias *Frickius* eundem in hac parte deſerendum eſſe duxerit, (**)

 &

ſe calculum iterum auferente, addi poteſt Cl. Arn. GREVIUS in *Memoria Jo. Æpini inſtaurata*, Hamb. 1736. in 4 edita, §. XX. p. 41.

(*) Namque valebit hic vulgata illa juris regula, quod quis per alium facit, per ſeipſum feciſſe putatur: Illuſtri quoad cauſam huic prorſus geminam exemplo hoc confirmare licet, quando Principes in alloquio ad Cæſarem, exhibitæ Aug. Conf. præmiſſo: *Offerimus*, inquiunt, *noſtrorum concionatorum & noſtram confeſſionem &c.*

(**) Lege ejusd. editionem vernaculam operis Seckendorff. L. III. §. LXXVI. p. 1596. ſqq.

& allatis ejuſdem quoad hanc cauſam rationibus pridem ab aliis quibuſdam ſatisfactum ſit. (*)

Quod igitur de auctoritate publica & ſymbolica, articulis noſtris in ipſo mox Smalcaldenſi conventu addita, jure meritoque defendimus, id tamen non ultra quam par eſt, extenſum volumus: neque enim plures nec pauciores etiam Eccleſias conditi hujus ſymboli auctoritate tum adſtrictas contendere par erit, quam quarum doctores in hac ſynodo ſigillatim conſenſum ſuum de eodem profeſſi ſunt; ac licet nomina ſubſcriptorum ex ipſis Libris ſymbolicis, ubi eadem adhucdum ſervantur, cognoſcere in proclivi ſit; indicium tamen eorum, quod juxta ſeriem & ordinem provinciarum & urbium, a quibus miſſi in hanc rem Theologi aderant, ab illuſtri *Seckendorffio* l. c. inſtitutum eſt, ut huc repetamus, ab hoc loco haut alienum putabitur. Fuerunt autem horum Theologorum alii ex Electoratu Saxonico, alii ex Brandenburgenſi Franconico Marchionatu, alii ex Luneburgenſi & Hannoverano, alii ex Pomeraniæ, alii ex Wurtembergenſi Ducatibus, alii ex Haſſorum Landgraviatu, alii ex Principatu Anhaldino, alii ex Mansfeldenſium Comitatu, alii denique ex Norimbergenſium, Francofurtenſium, Suevico-Halenſium, Hamburgenſium, Bremenſium, Mindenſium, Suſatenſium, Erfur-

(*) A Joh. Henr. MAJO in Hiſt. Reform. L. I. §. 330. Dan. Laur. SALTHENIO in Diſſertat. cit. §. XI. p. 22. ſqq. addere licet ipſum *Seckendorff.* l. c. §. LIV. præced. n. 1. p. 150. b. init: Principum decreti mentionem inferre, quod publicam articulis noſtris tum datam auctoritatem omnino aſſerat; quocum etiam conſentit David. CHYTRÆVS in Conſilio, dato Principi Ulrico Mecklenb. de ſubſcript. Aug. Conf. in conventu Numburg. quod noviſſime iterum protulit Ven. Ern. Sal. CYPRIANVS in *Hiſt. Aug. Conf.* germanice ſcripta, edit. II. Goth. 1730. ubi id ipſum habetur in Appendic. Document. n. XLIV. p. 233. ſqq. conf. & huc locum alium apud *Seckendorff.* ad a. 1545. Lib. III. § CXXV. n. 10. p. 576.

Digitized by Google

furtenſiumque civitatibus. (*) Quin igitur ad harum provinciarum urbiumque Eccleſias, per factam in conventu Smalcaldenſi receptionem, articulorum noſtrorum auctoritas ſymbolica ſeorſim reſtrictimque pertineat, cum neminem amplius nobiſcum ambigere poſſe exiſtimemus; nunc quid porro, alibique etiam, pro auctoritate eadem vel concilianda, vel magis etiam magisque firmanda ac roboranda factum ſit, per temporum ſubſequentium ſeriem ex fide itidem dignis documentis afferendum erit.

Equidem, quæ ad auctoritatis articulorum noſtrorum confirmationem ſpectant, minus nos ſollicitos habere poterunt; pertinere tamen eo intelliguntur, quæ earundem Eccleſiarum, a quibus, ut dictum, jam Smalcaldiæ ſymbolica hæc teſſera ſuſcepta eſt, pro eadem retinenda, ſancteque cuſtodienda & ad poſteros transmittenda curam teſtatum faciunt. Sunt autem in hoc præcipue numero peculiaria illa Doctrinæ Corpora, quæ in variis hinc inde Eccleſiis, antequam concordiæ Formula conderetur, obtinuerunt, atque inter libros, juxta quos fidei vel profeſſio vel diſcretio inſtituenda, una cum aliis & articulos noſtros Smalcaldicos complectuntur; idque dum conſpicitur in Corpore doctrinæ *Thuringico*, *Julio* item atque *Norico*, (**) ex

(*) Conf. huc Jo. Ben. CARPZOVIUS in Iſagog. ad LL. Symbb. P. III. Sect. III. Membr. II. p. m. 892. ſqq. Hinr. PIPPING. in Introd. ad edit. LL. Symbb. vernacul. Cap. VI. §. XIV. p. 96. ſq. it. WALCHIUS l. c. p. 495. ſqq.

(**) Hic conſulendi, qui de Corporibus doctrinæ tradiderunt, quod data opera fecit B. Jo. Andr. SCHMIDIUS in peculiari programmate Helmſtad. 1706. vulgato, quod integrum atque ſuis quibusdam obſervationibus auctum repetiit, inſeruitque Hiſt. Theolog. literariæ Cel. Chriſtoph. Matth. PFAFFIUS P. I. p. 233. ſqq. cui porro jungendi Io. Chriſtoph. DORNIUS in Biblioth. Theolog. Critica P. II. Lib. III. Cap. II. §. X. p. 485. ſqq. Io. Franc. BUDDEUS in Iſagog. ad Theolog. Lib. II. Cap. II. §. 8.

ex eo, quod articuli noſtri in Eccleſiis provinciarum Thuringicarum, itemque Brunſuico-Luneburgenſium atque civitatis Norimbergenſis, jam ſua inde a dicto Smalcaldenſi conventu auctoritate gaviſi erant, non niſi pro repetitione & confirmatione ejusdem habere licet. Quando vero *Prutenicum* illud doctrinæ corpus, quod Albertus Senior, Marchio Brandenburgicus & primus Dux Pruſſiæ, a. 1567 opera Theologorum exterorum, Joachimi Mörlini & Martini Chemnitii a Brunſvicenſibus evocatorum, conſentientibus omnium ſubjectorum ſuorum cujuscunque ordinis ſuffragiis condidit, juxta cum Auguſtana Confeſſione, ejusdemque Apologia & Articulos noſtros Smalcaldicos doctrinæ formulam & teſſeram profeſſionis fidei publice conſtituit, hoc aliter haut interpretari par erit, quam quod auctoritas ſymbolica tum primum iisdem velut de novo & ex integro in terris iſtis acceſſerit. (*)

Sicuti

p. 493. ſqq. ac denique Io. Georg. WALCHIVS in Iſagog. ad LL. Symbb. Lib. I. Cap. I. §. IX. p. 78. ſqq. De *Thuringico* doctrinæ Corpore monemus ſeorſim, aliquam hujus editionem memorari a Cl. Dornio l. c. a. 1549. vulgatam, quam cæteri omittunt, atque dubia omnino & hæc editio nobis habetur; credimus tamen ad a. 1559. eandem fore referendam, ſiquidem & confutatio illa IX. errorum ſingularium, quam huic collectioni adjunctam perhibet Dornius, tum temporis demum prodierat. De Corpore doctrinæ *Julio* conferri adhuc poſſunt a Philip. Iul. RETHMEIERO allata in *Hiſt. Eccl. Brunſuic.* P. III. Cap. VIII. Sect. IV. & VII. itemque Jo. Conr. SCHRAMMIO, in Diſſertatt. ad Corp. Doctr. Jul. quarum prima 1730. edita hiſtoriam ejus complectitur. *Norici* uberior notitia ex Jo. Conr. DVRRII *Iſagog. ad LL. Normales* ſ. Symbb. Eccl. Noriberg. 1675. edita, haurienda eſt.

(*) *Prutenicum* hoc doctrinæ corpus ſub tit. *Repetitionis corporis doctrinæ Eccleſiaſticæ*, primum prodiit Regiomont. 1567. in fol. recuſum mox Islebiæ in 4to, ex quibus ipſis, quæ utraque ad manum ſunt, hujus corporis editionibus tum de ſynodo præcipuorum Eccleſiæ doctorum & miniſtrorum liquet; in qua ultra octoginta, qui ex univerſa provincia aderant, nomina ſua conſtitutis his ſymbolis adjecerunt, tum quoque de reliquorum Statuum provincialium quoad hanc cauſam conſenſu porro teſtatur Chſtph.

Sicuti autem ex hucusque commemoratis intelligitur, celebrata iſta doctrinæ corpora ex majori parte pro auctoritate articulorum Smalcald. vel communienda vel aſſerenda ſtetiſſe; ita tamen antequam ad alia progrediamur, nec illud reticere volumus, quod de Corpore doctrinæ *Philippico*, itemque *Pomeranico* nobis obſervatum eſt, & ad derogandam potius iisdem articulis auctoritatem eam, quam jam olim acquiſiverant, facere videbitur. Namque in Philippico illo ſic dicto doctrinæ Corpore, quod & Saxonicum atque Miſnicum alioquin audit, quoniam id uſibus harum Saxonico-Electoralium tum provinciarum deſtinatum erat, inter cumulatos cætêros libros normales Eccleſiaſticos, Smalcaldici articuli juxta cum Lutheri catecheſibus omnino omiſſi ſunt: quod quin a diſcipulis illis Melanchthonis, qui hinc Philippiſtarum tum nomine veniebant, & e quibus poſthac Crypto-Calvinianorum illa σύῤῥαξις prodiit, haut alio conſilio factum ſit, quam ut ſcriptis Melanchthonianis unice in thronum evectis, Lutheri viciſſim & articulorum etiam Smalcaldicorum auctoritas iterum deprimeretur, nobis haut dubium relinquitur: (*) Sicuti & idipſum jam tum cordatioribus ſuboluit, atque in his Theologis Saxonicis Ducalibus, qui in colloquio Altenburg. a. 1568. & ſequente hanc vecordiam Electoralibus graviter exprobrarunt

HARTKNOCH in Hiſt. Eccleſ. Boruſſ. Lib. II. Cap. IV. p. 423. ſqq. quibus jungantur, quæ recentiſſime in hanc rem attulit Cl. SALTHENIVS l. c. §. XIII. p. 27. ſqq. it. Auctor obſervationis peculiaris, quæ *Act. Boruſſ. Eccleſ. Civil. & Literar.* Tom. I. p. 482. ſqq. inſerta eſt.

(*) In Conventu Numburgenſi a. 1561. acriter Melanchthonis aſſeclas ſe oppoſuiſſe, cum de auctoritate Artic. Smalcald. firmanda a quibusdam Principibus propoſitum eſſet, teſtatur ex Actis Naoburg. Dav. Chytræi adhuc ineditis, Chriſt. Aug. SALIG. in *Hiſt. Aug. Conf.* P. III. Lib. X. Cap. IV. §. X. p 669. ſqq. adde, quæ ex epiſtola quadam Matth. Judicis in hanc rem ab eodem adducuntur ibid. §. XVI. p. 675.

Digitized by Google

runt & Catechiſmo utroque Lutheri juxta cum Articulis Smalcaldicis in Thuringicum illud corpus repetita vice ſuſceptis, illorum molitionibus fortiter ſe objecerunt. (a) De Pomeranico autem doctrinæ corpore quod diximus, id de prima editione ejusdem, quæ a. 1561. prodiit, intellectum cupimus; nam ſicuti hoc, ut jam alibi nobis obſervatum, nihil aliud quam ipſum corpus Philippicum eſt, Saxoniæ inferioris dialecto redditum, (b) ita & Articulis noſtris Smalcaldicis locum in eodem negatum eſſe, vel nobis non monentibus intelligitur. Sed vero cum ipſum hoc Pomeranicum doctrinæ corpus mox altera vice a 1565. ac novo quodam Tomo auctum prodiret, una cum utroque Catechiſmo & aliis quibusdam Lutheri ſcriptis, Articuli Smalcaldici etiam velut poſtliminii jure reſtituti in eodem comparuerunt: quo adeo Pomerani publice teſtatum fecerunt, majori erga recepta comprobataque purioris doctrinæ ſymbola ſe duci religione, ac illos Saxonicos Philippi diſcipulos, (c) qui ab horum depravatione aliisque corrupte-

(a) Vid. *Acta Colloquii Altenburg.* ex parte Theologorum Saxonico-Ducalium vulgata, in edit. vernacula Jen. 1569. fol. p. 36c. & p. 479. in latina Jen. 1570. 4. p. 403. b. & p. 539. ubi ab his Electoralibus Theologis exprobratur, quod corpus doctrinæ Philippicum nullum Lutheri librum, præſertim plurimorum ſuffragio probatum, ut ſint articuli Smalcaldici, recipiat: ad quæ frigida admodum eſt reſponſio, quam Electorales adferunt in iisdem Actis p. 510. edit. lat.

(b) In *Hiſt. critic. Aug. Conf.* Sect. I. Cap. III. §. IV. p. 81. ſq. addi autem poſſunt, quæ poſt Dan. CRAMER. in Chronic. Pom. Eccleſ. L. III. Cap. 34. & Jac. RUNGIUM in relatione de hoc corpore, noviſſime in hanc rem allata ſunt a Jac. Henr. BALTHASAR. in Actis & Docum. ad Hiſt. Eccl. Pomeran. Collect. I. p. 327. ſqq. Collect. II. p. 12 ſqq. 281. 307. 420. ſqq. it. WALCHIO l. c. Lib. I. Cap. I. § IX. p. 81.

(c) Erant namque & Pomerani tum temporis Theologi maximam partem Philippi diſcipuli, & inter hos inprimis Jac. Rungius, Superintendens generalis, cujus in hujusmodi ad egregium Eccleſiæ pertinentibus rebus præcipuæ partes fuerunt. vid. BALTHASAR. l. c. Collect. II. in vita Rungii p. 387. ſqq.

Digitized by Google

ruptelis ſe abduci haud paſſi ſunt prius, quam usque dum concordiæ negocium, operoſe maximoque ſumtu inſtitutum, eosdem vel invitos demum ad ſaniorem mentem revocaret.

Antequam vero de hac ipſa cauſa pro ſcopo noſtro aliquid porro dici poteſt, temporis ratio nos ducit, ut adhuc commemoremus, quomodo alibi locorum ac cummaxime in Saxoniæ noſtræ inferioris regionibus id operæ, ut Articulorum Smalcaldicorum auctoritas ibidem conſtabiliretur, & fauſtis ominibus ſuſceptum & feliciter etiam effectui datum ſit. Præterquam enim quod rerum domeſticarum, in quarum cenſum hoc omnino referre fas erit, cura nos propius & vel inprimis tangi oporteat; vel eapropter etiam hoc ipſum diligentius connotari merebitur, quoniam pauciores omnino ex his terrarum finibus, & præter dictos Luneburgenſes, vel ſolius Hamburgenſis, Bremenſisque civitatis antiſtites in primo illo Smalcaldenſi conventu articulorum horum auctoritati ſubſcripſerunt; ut adeo quicquid in hanc rem deinde conſtitutum eſt, recentioribus ubique ſancitis atque decretis nitatur. Cui accedit, quod ubi ipſi Formulæ Concordiæ haut ſtatim ubique in his regionibus locus datus; ſed ejus receptioni diu ſatis repugnatum eſt; articulis tamen Smalcaldicis juxta cum cæteris Eccleſiæ Libris ſymbolicis ſua dudum conſtiterit auctoritas, ad noſtra usque tempora ſancte intemerateque ſervata & cuſtodita. Inter Theologos autem Saxoniæ inferioris jam tum eminere cœperat miniſterium Tripolitanum, ex Lubecenſium, Hamburgenſium atque Luneburgenſium Eccleſiarum doctoribus atque verbi miniſtris compoſitum. Hujus namque in enatis ſtatim poſt

 Lutheri

Digitized by Google

Lutheri beatum obitum concertationibus Interimiſticis, Adiaphoriſticis, Oſiandriſticis, Majoriſticis ac Sacramentariis reprimendis, mox junctim mox ſeorſim virtus enituit, ubi in confeſſionibus quoad has cauſas editis (*) non prætermittebant, ut ad Smalcaldicorum noſtrorum articulorum conſenſum nonnunquam ſe reciperent. Cum ab iisdem, quibus & Brunſvicenſes ſe junxerant, inter Melanchthonem & Wittebergenſes aliosque ejus diſcipulos ex una, atque ex altera parte Flacium & ejus aſſeclas a. 1557. concordia concilianda eſſet, ut hæc quoad conſenſum doctrinæ, in Auguſtana Confeſſione, ejusque Apologia non minus quam in Articulis Smalcaldicis expreſſum iniretur, auctores ſuaſoresque extiterunt. (**) Cum porro Tripolitani illius Miniſterii ſententia a. 1559. in ſynodo Mölnæ congregata, rogaretur, quo loco ab iis haberetur formula illa, quam ad reſtituendam Eccleſiæ pacem internam in Principum & Statuum Proteſtantium conventu Francofurtano anno præcedente propoſuerat Melanchthon, illi in dato reſponſo hanc compoſitionis formulam, licet jam Principum Statuumque ibidem præſentium ſuffragiis probatam,

(*) Haſce confeſſiones, junctim noviſſime editas, debemus curæ B. Nic. STAPHORSTII, qui easdem dedit ſub tit. *Die Bekænntnuſs der Kirchen zu Hamburg*, 1728. primum ſeorſim 4to; hinc etiam ſubjectas Hiſt. Eccleſ. Hamb. Diplomat. P. II. Vol. I. Hamb. 1729 vulgato.

(**) De tentata hac Coswigæ inter Melanchthonem & Flacium atque utriusque ſocios compoſitione, alibi pluribus dicitur. Articulos iſtos a Saxoniæ inferioris Theologis Melanchthoni propoſitos, in quibus Articuli Smalcaldici una cum Aug. Conf. & ejus Apolog. pro norma decidendi controverſias commendantur, exhibuit primus Sam. POMARIUS in monumento ſeculari Libri Concord. p. 74. ſq. atque hinc Jo. Georg. BERTRAM. in Hiſt. Eccl. Luneburg. P. II. in Document. p. 35. ſq. germanico idiomate conſignatos eosdem ſubjiciunt *Auct. Relat. innoc.* ad a. 1702. p. 441. edit. 2dæ. & ad a. 1708. p. 529. ſqq. add. C. A. SALIG. in Hiſt. Aug. Conf. P. III. Lib. VIII. Cap. VI. p. 243.

Digitized by Google

batam, haut omnino ſibi ſatisfacere teſtabantur, quod in capite doctrinæ de cœna Domini haut exquiſite redderet ſententiam Auguſtanæ Confeſſionis, Apologiæ ejusdem & Articulorum Smalcaldicorum, ad quorum normam confeſſiones novas quascunque exigendas dijudicandasque eſſe, iterum iterumque dictitabant. (*)

Dixerit forte quis, ex hucusque adductis implicitum vel privatum tantummodo doctorum pro Articulorum noſtrorum auctoritate conſenſum liquere? Sed & explicitum publicumque mox dare poſſumus. Ex parte Lubecenſis miniſterii ille nobis ſufficitur in formula illa conſenſus, cui tanquam fidei ſuæ teſſeræ ſingula ejusdem membra, a. 1560. die ultima Februarii, poſt deliberationem inſtitutam nomina ſua adſcripſerunt, & normam fidei ac doctrinæ ſuæ S. Scripturam, ſecundum tria ſymbola antiqua, Aug. Confeſſionem, ejusdem Apologiam & Articulos Smalcaldicos explicatam, diſerte iteratoque profeſſi ſunt; quod & poſthac ſucceſſores eorundem, poſt conditam etiam Formulam concordiæ, diu adhuc fecerunt. (**) Eodem quoque anno Hamburgi, intercedente peculiari Senatus decreto, die VI. Julii publicato, omnibus & ſingulis verbi divini miniſtris injungebatur, ut puriorem doctrinam cuſtodientes, eamque publice privatimque proponentes, haut diſcederent a typo, in Aug. Confeſſione, Apologia ejusdem, Smalcaldicis articulis & catechiſmis Lutheri, quin & editis ſuperio-

(*) Conventus hujus Mölnenſis a miniſterio Tripolitano celebrati mentionem quidem infert BERTRAM l. c. p. 178. ſed ipſum Theologorum reſponſum ex actis Miniſterii Lubecenſis demum protulit Caſp. Henr. STARCKIUS in Hiſt. Eccleſ. Lubecenſ. p. 193. ſqq.

(**) Ipſam hanc formulam conſenſus miniſterii Lubecenſis itidem exhibet laudatus STARCKIUS l. c. in Document. p. 196. ſq. qui ante in exegeſi hiſtorica p. 153. ſq. rei cum eadem geſtæ ſeriem pluribus percenſet.

Digitized by Google

perioribus annis domeſticis confeſſionibus expreſſo, ſed in obortis externis interniſque litigiis eundem arctius retinerent ac ſequerentur: cui publico magiſtratus mandato aſſenſi & morem geſturi omnes ſacri ordinis Viri, mox eodem adhuc menſe ſubſcriptis ſuis nominibus eidem ſe obſtrinxerunt. (*) Symbolicam igitur publicamque auctoritatem hinc apud Lubecenſes Articulis Smalcaldicis primum acceſſiſſe, hinc vero apud Hamburgenſes conſtabilitam eſſe, neminem non inde perſpicere exiſtimare licet. Quæ hucusque commemoravimus de Tripolitani miniſterii meritis, in tuenda aſſerendaque ut primitivorum Eccleſiæ noſtratis ſymbolorum omnium, ita & ſeorſim Articulorum Smalcaldicorum dignitate, ea & vicinas porro Eccleſias in partem hujus cauſæ traxerunt, & ad idem in eosdem ſtudium excitarunt. Reperimus illud in conventu hinc anno ſequente 1561. Luneburgi celebrato, ubi præter illos ex miniſterio Tripolitano delegatos & Bremenſis, Roſtochienſis, Magdeburgenſis, Brunſvicenſis, Wismarienſisque Eccleſiæ doctores quidam aderant; in congregata hac Patrum ſynodo de confeſſionis quadam formula edenda conveniebat, in cujus primo articulo mox de corpore doctrinæ conſtituebatur, dato in eodem loco cum Aug. Confeſſione, ejusque Apologia atque catecheſi Lutheri, & noſtris omnino articulis Smalcaldicis: cumque ipſius hujus confeſſionis Luneburgenſis, quæ tum Theologos

(*) Illud Senatus decretum idiomate Saxoniæ inferioris ſub tit: *EE. Rades Machtſpröcke &c.* una cum ſubſcriptionibus ſingulorum tum temporis ſacri ordinis Virorum, STAPHORSTIUS ſubjecit præfat. ſyntagmatis Confeſſ. ſupra memorati; poſt quem & decretum idem repetiit noviſſimus *Anonymus* ſcriptor *de Statu Eccleſ. & politico civitatis Hamburg.* P. II. p. 288. ſqq. qui & hinc ad a. 1564. p. 330. exemplo quodam comprobat, legis hujus obſervantiam haut quaquam fuiſſe poſthabitam.

Digitized by Google

gos præſentes omnes ſubſcriptores habebat, auctoritas tanta eſſet, ut vel ipſa in Agendis Eccleſiæ Brunſvicenſis hinc partem Librorum Symbolicorum conſtitueret, & alibi etiam, qui in ordinem miniſtrorum Eccleſiæ cooptandi erant, mente manuque ad obſervantiam ejusdem ſemet obſtringere tenerentur, hoc quoque ejusmodi eſt, quod de articulis Smalcaldicis, tum ſimul approbatis & plurium calculo munitis, luculentum teſtimonium perhibet. (*)

Sed in *Holſato-Cimbricas* noſtras Eccleſias quomodo eorundem auctoritas penetraverit, quod noſſe intereſt, hinc nondum liquet; id vero ut nunc ediſſeramus, temporis ordo & ſeries nos manu quaſi ducit. Providæ hoc deberi curæ Theologi ſummi & iſthoc ævo celebratiſſimi, Pauli *ab Eitzen*, qui ab Hamburgenſium Eccleſiarum ephoria ad ſumma, in Eccleſiis harum terrarum & aula etiam Ducali Gottorpienſi, obeunda ſacra munia a. 1562. evocatus erat, cognoſcimus. Quam impenſe is dudum Smalcaldicis Articulis, eorundemque in Eccleſiis firmandæ auctoritati faverit, loquuntur ſatis, quæ de geſtis in hanc rem a miniſterio Tripolitano, quibus ille Hamburgenſis Eccleſiæ nomine pars ubique adfuerat, a nobis allata ſunt. (**)

Sed

(*) Acta hujus Luneburgenſis conventus pluribus deſcripſerunt noviſſime J. G. BERTRAM l. c. p. 181. ſq. Phil. Jul. RETHMEIER. in Hiſt. Eccl. Brunſvic. P. III. p. 245. ſqq. C. H. STARCKIUS l. c. p. 162. ſqq. a quibus ut de auctoritate confeſſionis hujus Luneburgicæ ſimul teſtimonium perhibetur, ita & de variis ejusdem mox curatis editionibus indicium fit. Sed & Caſp. MAURITIUS, cum Decad Exercitatt. in Form. Conc. Roſtoch. 1654. in 8. edit. hanc confeſſionem Luneburgenſem iterum ſubjecit, de ſuo adhuc tempore id teſtatum reliquit p. 337. alicubi moris eſſe, ut qui in ordinem ſacrum cooptentur, ad obſervantiam hujus confeſſionis mente manuque ſemet obſtringant: quod de miniſterio Lubecenſi capiendum eſſe edocemur a laudato STARCKIO l. c. p. 166.

(**) Conf. de Coswicenſi, Mœinenſi & Luneburgenſi Theologorum conventibus modo laudatos ſcriptores; adde Georg. Gothofr. KVSTERVM in Memorabil. Colonienſ. Specim. II. p. 27.

Digitized by Google

Sed noſtrarum nunc Eccleſiarum admotus gubernaculo, ab eodem tramite nec latum etiam unguem diſcedebat. In vulgato namque eodem, quo huc acceſſerat, anno apologetico quodam, quo cauſas alioquin ediſſerebat, quare ſibi Confeſſionis Luneburgicæ præpropera divulgatio diſplicuerit, nihilominus ſymbolorum Eccleſiæ noſtratis & in his articulorum Smalcaldicorum auctoritati conſtanter ſtrenueque aſſurgebat. (*) Idipſum & porro fecit in edita anno ſequente admonitione, de præcipuis capitibus controverſiarum de cœna Domini, in qua conſenſum Articulorum Smalcaldicorum quoad hancce doctrinam iterato fortiterque in præſidium vocavit. (**) Sed ut privatas hujusmodi, quas longe plures afferre daretur, maximi viri circa hanc rem curas linquamus, ad id demum enarrandum pergimus, quod publicam ſymbolicamque articulis Smalcaldicis in Cimbrico-Holſaticis Eccleſiis auctoritatem eodem velut parario adjecit. In acceptis hoc ferendum eſt formulæ juramenti, ipſo auctore concinnatæ, atque hinc auſpiciis ſummi Herois Cimbrici, Ducis Adolphi, promulgatæ, ut fidem ſuam, quotquot in his terris publicis ſacris operaturi erant, eidem adſtringerent. (†) Poſt annum

(*) Exhibet libelli hujus apologetici titulum, brevemque ejusdem recenſum ſubjecit Jo. MOLLERVS in Iſagog. ad hiſt. Cherſoneſ. Cimbr. P. II. p. 180. ex quo, ut ſatis liquet, quantum Eitzenius Articulis his Smalcaldicis ac cæteris ſymbolis ſimul commemoratis tribuerit, ita noſtro id inſtituto ſufficit, nec opus erit in rationes improbatæ ab eodem editionis confeſſionis Luneburgicæ inquirere, quæ quidem cauſa prolixiorem diſputandi materiam præbitura eſſet.

(**) Ipſe libellus Hamburgenſium typis 2 plagulis in 8. 1563. excuſus ad manum eſt: ubi videatur pl. A. p. 8. b. pl. B. p. 2. a. & b. p. 7. a.

(†) Quæ ad hiſtoricam notitiam jurisjurandi hujus formulæ pro Eccleſiis Slesvico-Holſaticis pertinent, inter cæteros diligentius expoſuit Ven. quondam Henr. *MUHLIUS* noſtras, de Reformat. religionis in Cimbria, ut

Digitized by Google

num 1570. hoc contigiſſe agnoſcunt, qui rerum domeſticarum annales diligentius curatiusque perveſtigarunt; & occaſio hujus formulæ conſignandæ Eitzenio noſtro arrepta eſſe creditur, ex colloquio Serveſtano, cui is menſe Majo dicti anni interfuerat: cumque ibidem & inter cætera de certo doctrinæ corpore, in locum Philippici illius, quod pluribus improbari cœperat, conſtituendo deliberatum, in eoque conventum eſſet, ut præter tria ſymbola antiqua, nonniſi Auguſtanæ Confeſſioni 1530 Cæſari exhibitæ, ejusdemque Apologiæ, Articulis Smalcaldicis & Catecheſi Lutheri locus in eodem daretur, (*) Eitzenius noſter typum hujus rei daturus, eandem omnino fidei confeſſionum ſeriem in condita hac jurisjurandi formula retinuit, voluitque, ut juxta illam non modo pia ac Chriſtiana fidei profeſſio inſtitueretur, ſed & doctrina de cœna Domini, aliæque vel in litem jam adductæ, vel poſthac adducendæ rite exigerentur & dijudicarentur. (**) Sic

E igitur

habetur in Diſſertatt. hiſtorico-theolog. p. 99 ſqq.; atque ut is ex teſtimoniis ibidem adductis tempus, quo primum hæc juramenti formula concinnata & in uſum traduci cœperit, poſt annum 1570 rite determinavit, ita & in hoc poſtea eundem ſecutus eſt conjunctiſſ. jam Collega noſter, Ad. Henr. LACKMANN. in Introd. ad Hiſt. Sleſvic. Holſat. Tom. I. p. 590. 598 & 625.

(*) De Serveſtano hoc conventu non adeo plura, ut quidem de aliis hoc tempore congregatis, antehac innotuerunt. Legi autem nunc poteſt Io. Chriſtph. BECMAN. in Hiſt. Anhaltina P. VI. Cap. IX. p. 102 ſqq. atque addantur, *Auct. relat. innoc.* ad a. 1704. p. 23. ſqq. it. BERTRAM. l. c. p. 193 ſq. & in Docum. p. 110 ſq. quod corpus doctrinæ Philippicum ab illo tempore poſtponi cœperit, cum hic alii velut normales libri conſtituti ſint, jam obſervatum eſt B. Mart. *Chemnitio* apud Io. Henr. FEUSTKING. in Hiſt. Colloqu. Jever. p. 33 ſq. an vero articulos Smalcaldicos omnes, quia Serveſtæ adfuerint, probarint, dubium habetur David. CHYTRÆO in Epiſt. a. 1571. ad Iac. Andreæ ſcripta p. 476.

(**) Satis id perſpici poteſt ex ipſa illa antiquiori jurisjurandi formula, quæ cura Ephororum Eccleſiæ in his regionibus toties quoties typis ſeorſim

Digitized by Google

igitur cum hac ipſa juramenti formula, publicam etiam atque ſymbolicam auctoritatem Smalcaldicis Articulis primum in his terris additam fuiſſe, reperire nobis datum eſt: ſed & quod ad noſtra usque tempora ſarta tectaque eadem ſervata ſit, juramenti ejusdem religioni adſcribendum erit. (*) Nam quod in plerisque aliis Germaniæ regionibus, ut mox dicetur, contigit, ut per Formulam Concordiæ non multo poſt conditam atque hinc inde receptam, novum ſimul articulis Smalcaldicis, eorundemque auctoritati robur acceſſerit, ad noſtras, inprimis Principali regimini ſubjectas, terras ac provincias Cimbricas non adeo pertinuit. De eo enim aliunde ſatis conſtat, quomodo a primis ſtatim initiis ſubſcriptioni & receptioni concordiæ illius Formulæ a noſtratibus repugnatum ſit; (**) quæ proinde nec ipſa ullum publicæ auctoritatis locum

impreſſa fuit; ſed & pridem in exterorum eadem notitiam venire potuit, poſtquam exemplum ejus aliquod, prout ab Eitzenio noſtrate Saxonibus quondam transmiſſum erat, B. Leonh. HVTTERVS Concord. conc. Cap. XII. p. m. 373 ſqq. inſeruit; & Cel. Jo. Melch. KRAFFTIVS etiam noviſſime in Hiſt. Eccl. Huſumenſ. p. 388 ſqq. ex renovato a Jac. Fabricio Sen. ejusdem juramenti exemplo repetiit.

(*) Equidem cum regnante in domo Holſato-Gottorpienſi JOANNE ADOLPHO, gl. m. Calvinianorum aulicorum artibus id effectum eſſet, ut Eitzeniana illa jurisjurandi formula per aliquot annos abrogaretur, ac alia quædam a Philip. Cæſare in ejusdem locum ſufficeretur, in hac ſane ut alia multa in gratiam Calvinianorum mutata erant, ita & inter libros normales una cum Catechismis Lutheri & Articuli Smalcaldici prorſus omiſſi fuere. Sed Principe iſto Jo. Adolpho a. 1616. fatis functo, cum Jacob. Fabricius mox in primarii ſacrorum antiſtitis priſtinum locum reſtitueretur, illi quidem nihil prius fuit, quam ut priſtina illa juramenti formula principali auctoritate ſimul reſtitueretur, leg. hanc cauſam latius ediſſerentem laud. KRAFFT. l. c. p. 378 ſqq. & ipſam a Philip. Cæſare mutatam juramenti formulam ap. Ant. HEIMREICH in Chronic. Friſ. Septentr. p. 303. Cum autem hac ratione & articulis Smalcaldicis ſua iterum reddita eſſet auctoritas, ex illo quidem tempore nihil unquam, quod ad eandem infrigendam fecerit, tentatum eſſe memimius.

(**) vid. HVTTER. l. c. Cap. XII. p. 366 ſqq. V. E. LOESCHER. in hiſt.

Digitized by Google

locum apud nos obtinuit, usque dum ante hos tres nondum exactos annos, juſſu clementiſſimo ſupremisque auſpiciis, nova jurisjurandi formula pro miniſterio in his terris Eccleſiaſtico condenda eſſet, in qua tum poſt cætera, quibus antiquior illa juramenti formula pridem auctoritatem dederat, ſymbola & ipſa Formula Concordiæ denique adjecta eſt. (*)

Ut per inſtitutam hucusque diſtinctiorem & paulo prolixiorem etiam demonſtrationem id probatum dedimus, quomodo jam ante conditam Concordiæ Formulam Smalcaldicis noſtris articulis dudum ſua non modo paſſim conſtiterit auctoritas, ſed &, uti de Cimbricis noſtris Eccleſiis vidimus, vel citra ejusdem præſidium diu ſatis eadem ſervata & cuſtodita ſit: ita & nunc, ubi ex dicendorum ordine eo devenimus, haut omnino nobis prætermittendum eſt ſuffragium illud publicum ac prorſus ſollenne, quod aliquoties memorata *Formula Concordiæ* auctoritati Smalcaldicorum Articulorum addidit. Confectum hoc anno 1580 negocium, non opus eſt, ut pluribus hoc loco a nobis deſcribatur, cum, quod inde ad noſtrum inſtitutum pertinet, eo cummaxime redeat, ut ex ipſa illius concordiæ Formulæ inſpectione teneamus, inter conſtitutos tum Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ libros normales ſive ſymbolicos, locum omnino datum atque vindicatum eſſe Articulis

E 2

mot. plen. P. III. Lib. VI. Cap. V. §. XX. p. 258. & Cap. IX. §. XI. p. 293. quibus adde inprimis domeſticos, Henr. MVHLIVM l. c. p. 101 ſqq. Jo. Melch. KRAFFT. l. c. in Præfat. c. 2 ſqq. Ad. Henr. LACKMANN. P. I. p. 617 ſqq.

(†) Nova hæc miniſterium Eccleſiaſticum in terris noſtris obſtringens juramenti formula *Reg. Celſitud.* Principis ac Domini noſtri Clementiſſimi, CAROLI FRIDERICI, auſpiciis 1734 condita, mox eodem anno typis excuſa eſt.

Digitized by Google

ticulis noſtris Smalcaldicis. (*) Attendi porro & id meretur, quot & quinam illi fuerint, qui aſſerendæ eidem auctoritati calculum tum ſuum adjecerint? De qua quidem quæſtione & ipſe liber concordiæ, ex præſtantioribus quæ habentur illius editionibus, nos certiores reddit; ubi nimirum in fronte ejusdem mox comparet inſignis & præluſtris Principum ac Statuum Imperii cohors, quæ nomina ſua velut ſcuta eidem ſuſpendit, atque pone hanc, velut agmine facto, numeroſa myſtarum ſacrorum phalanx ſublata eorum ſigna ſequitur. (**) Quotquot autem tum fuerunt Status Imperii Germanici cujuscunque Ordinis, quos numerare ex ſyllabo eorundem præmiſſo cuivis eundem contuenti in proclivi erit; quotquot hinc occurrunt verbi divini miniſtri & ſcholarum moderatores ex diverſis regionibus, quorum numerum ſi non inire, ingentem tamen eſſe & ad octo circiter mille adſcendere, ad colligendum facile erit: ab his omnibus adſenſum eſſe tributum, ut inter cætera tum conſtituta Eccleſiæ ſymbola & Articulorum Smalcaldicorum auctoritas poſthac ubicunque in illis locis valeret, nemini ambiguum eſſe debebit.

Ampliſſi-

(*) Loca hæc ex Form. Conc. jam ſupra deſignata ſunt p. 19. quibus addi poſſunt, quæ in Præfat. ad Lib. Concord. nomine Electorum Principum & Statuum præfixa, de ſymbolorum numero ſtatuuntur paulo ante finem.

(**) Libri Concordiæ editiones, quæ quotidianis velut uſibus deſtinatæ ſunt, ut *Rechenbergianæ* & *Pfaffiana*, recentior in 8. cum præfatione quidem Libri Concordiæ tantum exhibent nomina Electorum, Principum & Statuum Imp. reliquorum, qui eidem ſubſcripſerunt, ſed prolixiorem illum ſyllabum Eccleſiæ doctorum & ludi moderatorum compendii cauſa in fine omiſerunt; utrumque vero eorundem catalogum, alterum quidem in principio, alterum vero circa finem, poſt *Dresdenſem* illam primævam 1580. fol. præſtantiores & pleniores illæ *Pippingianæ*, *Reineccianæ*, imo & *Mullerianæ* editiones in 4to ſubjiciunt: unde & poſteriorem illum in editione Suetica elegante Reiner. *Broocmanni*, quæ Norcopiæ 1730. in 4. prodiit & ad manum eſt, repetitum eſſe h. l. monemus.

Ampliſſimam autem, quam hoc modo Formula Concordiæ Smalcaldicis articulis conciliavit, auctoritatem ita brevioribus comprobare datum eſt, eo quod documenta ad hanc rem facientia haut longius diſpicienda, ſed ſtatim ex ipſius Form. Concord. inſpectione obvia fuere. Reſtat de eo dicendum, quomodo cum eadem Articulorum Smalcaldicorum auctoritate iis in locis atque regionibus actum ſit, in quibus ipſa Formula Conc. primo illo tempore vel haut ſuſcepta vel omnino rejecta eſt. (*) In ſupradictis jam occurrunt *Norimbergenſes*, qui licet nec tum nec etiamnum Formulæ Conc. apud ſe locum fecerunt, in ſuo tamen Norico doctrinæ Corpore Smalcaldicorum articulorum auctoritati dudum proſpexerunt: in noſtris vero *Cimbro-Holſaticis* terris Ducalibus quid circa hanc rem actum ſit, non repetemus iterum, quoniam de iis modo paulo ſupra eſt monitum. Sunt autem porro & alia quoad hanc cauſam exempla, quæ vel non multo poſt, vel cum temporis etiam ſucceſſu Formulæ Conc. receptionem publicam nobis ſufficiunt; quod ſane ejusmodi eſt, ut Smalcaldicos etiam Articulos ſimul approbatos & publico aſſenſus teſtimonio munitos eſſe, hinc firmiter ſatis arguere queamus. In hunc cenſum ex Germaniæ noſtræ terris & provinciis primum referimus vicinos noſtros *Saxo-Lauenburgicos:* etenim apud eosdem Formulam Concord. antequam publicaretur, calculum haut impetraſſe, vel ex eo patet, quod nullæ vel Ducis Saxo-Lauenburgici, vel verbi miniſtrorum ejusdem ſubſcriptiones ad librum concordiæ in ejusdem editionibus reperiantur; Franciſcum vero Baringium, qui tum tem-

(*) Generatim horum indicium faciunt HVTTERVS l. c. Cap. XXXIII. & XXXV. V. E. LOESCHER. in hiſt. motuum plenior. P. III. Lib. VI. Cap. IX. §. 20. p. 302 ſq.

poris Eccleſiis iſtis cum auctoritate Præſulis ſacri præfuit, vel inprimis hanc cauſam impediviſſe, ab iis memoriæ proditum eſt, qui in hanc rem inquirendam ſibi ſumſerunt. (*) At vero, cum novo Duce Franciſco II. Jun. 1581 regimini admoto Eccleſiarum Leoburgenſium viſitatio inſtitueretur, arteſque Baringii ab Andr. Pouchenio, Lubecenſium Præſule, negocium hoc dirigente, detectæ eſſent, mox eodem Pouchenio auctore pro terris hiſce Saxoniæ inferioris Agenda Eccleſiaſtica compoſita, auſpiciiſque Ducis Franciſci 1585. promulgata fuere; eademque dum & Articulis Smalcaldicis & Formulæ Concord. normalem fidei & confeſſionis dignitatem attribuerunt, hocce primum forte exemplum publicæ receptionis ejusdem habendum erit, quod poſt promulgationem Libri Concord. 1580. contigit. (†)

In *Schwartzburgenſium* tum temporis Imperii Quatuor Comitum ditionibus proximum aliquod exemplum occurrit, quod de auctoritate ibidem Form. Conc. & cum ipſa etiam cæteris ſymbolis addita & confirmata teſtimonium perhibet. Ipſorum quidem Comitum adſcripta quorundam nomina oſtendunt nobis Concordiæ Libri editiones, ſed de eorundem Eccleſiæ miniſtrorum ſubſcriptionibus

(*) Vid. Jo. Herm. ab ELSWICH de Form. Conc. num in Dania combuſt. §. VI. p. 12 ſqq. Chriſt. SCHLOEPKE in Relat. vernacula de Ethnicismo, Chriſtianismo, & Reformat. Eccl. Lauenburg. Lubec. 1724. 8. p. 70. ſqq. add. HVTTER. l. c. p. 938.

(†) Lege ipſa hæcce Agenda Eccleſ. Saxon. inferioris, quæ Lubec. 1585. 4. typis exſcripta & 1651. ibid. recuſa ſunt, ubi auctoritatem, quæ hic toti Libro concordiæ & ſingulis in eodem comprehenſis ſymbolis addita eſt, ex P. I. perſpicere licet: auctorem vero Pouchenium eſſe, ipſe Sereniſſ. Princeps in præmio ſuo nomine adſcripto teſtatum facit; adde Caſp. Henr. STARCKIVM in Hiſt. Eccleſ. Lubec. p. 371. qui & p. 376 ſqq. labores ejus pro retinendis iisdem Agendis commemorat.

Digitized by Google

bus nihil in iſtis reperitur, eo quod hocce negocium tum quidem ob certa quædam impedimenta omiſſum eſt: ne vero illud ipſum hinc fraudi foret auctoritati Libri concordiæ, eidem ſatis cautum eſt, in Schwartzburgenſium ſanctionibus Eccleſiaſticis, quæ a. 1587. primum conditæ, atque hinc 1618. & 1675. repetitæ ſunt. (*) Cum *Argentoratenſi* libera Imperii civitate ita res habuit, ut, cum ante Conc. libri publicationem Reipublicæ hujus Senatus ad adjiciendum eidem calculum adduci haut poſſet, quod vero Eccleſiæ ibidem miniſterium inſtituto tantum privato ſubſcripſerat, ad publicam huic libro auctoritatem conciliandam haut valeret; annis tamen aliquot præterlapſis Agenda itidem Eccleſiaſtica, ex juſſu & decreto Magiſtratus Argentoratenſis a. 1598. promulgata, hoc quoque negocium confecerint: (†) ac vel eo quod Formula Concord. in iisdem recepta & approbata eſſet, hoc acriores vicinorum Calvini aſſeclarum cenſuras Agenda hæcce incurrebant; quas quidem cum Mich. Philip. Beutherus Bipontinorum nomine in eadem vibraſſet, haut adeo impune dimittebant Argentoratenſes, ut potius adornandis viciſſim juſtis vindiciis locum facerent, in quibus Jo. Pappus, primarius tum hujus Academiæ & Eccleſiæ doctor, qui manum operæ commodabat, & ſuorum & ſymbolorum totius Eccleſiæ cauſam ſtrenue defenſitavit. (**) Quanquam plura forte exem-

(*) Conf. in hanc rem Diſſertat. peculiarem Mich. Henr. REINHARDI Jun. de Form. Concord. in Schwartzburgia omnino approbata, Witteb. 1732 habita; de Agendis Schwartzburg. adde Caſp. Herm. KOENIG in Biblioth. Agend. p. 157. & p. 262.

(†) Prolixius hanc rem expoſuit HVTTERVS l. c. Cap. LVI. p. 1417 ſqq. conf. & eundem Cap. XXIV. p. 763 ſqq. add. Oſea. SCHADÆVM in Continuat. Sleidani P. III. Lib. XXIII. §. 23. p. 975. & Epiſt. *Marbach.* ex edit. Jo. FECHTII ad a. 1578 ſqq. & 1598 paſſim.

(**) Mich. Philip. BEVTHERI ſic dicta relatio vera & ſolida prodiit Bi-

Digitized by Google

exempla ex aliis adhuc Germaniæ noſtræ regionibus adduci poſſent, quæ ſuſceptam ſequiori tempore, publicaque auctoritate munitam Conc. Formulam comprobarent: (*) dicendi tamen compendium dum nobis faciendum eſt, duo tantum adhuc commemorabimus, quæ & propius quodammodo ad nos ſpectant.

Alterum ex *Cimbria* noſtra *Danico Regia* petimus: Etenim ſors eadem Formulæ concordiæ in Cimbrico-Danicis provinciis ſubeunda fuit, quæ eidem in ipſo Daniæ regno primo tempore obtigit: qua de re haut prolixius repetimus, quæ ab aliis tum ſuperiori tum etiam noſtra adhuc memoria non ſine contentione diſputata ſunt: (†) liceat vero tantum illud adferre, quod teſtibus minime dubiis nititur, & ipſius denique Form. Concord. in Cimbria Danica receptionem & publicam approbationem ſatis loquitur. Factum namque eſt, ut Rex Fridericus III. tum Patris Chriſtiani IV. adhuc viventis partes vicarias in Cimbria gerens, peculiari conſtitutione, die XXIV. Aug. a. 1647. Flensburgi promulgata, id injungeret, ut, qui miniſterio ſacro

pont. 1603. 4. Jo. PAPPI vero Refutationem & vindicias Agend. Argentinenſ. contra eundem, poſt mortem ejus luci dederunt Miniſtri Eccleſ. ejusdem quondam collegæ Argentorat. 1611. 4. adde SCHADÆVM l. c. ad a. 1603. p. 1162. it. KOENIG in Bibliothec. Agend. p. 96 ſqq. & p. 153 ſq.

(*) In *Friſia Orientali* idem factum eſſe conjicimus per Agenda Eccleſ. 1631. publicata, quæ 1716 recuſa ſunt; de quo vid. poſt KOENIG l. c. p. 125 & 189. Io. Frid. BERTRAM. in Parerg. Oſtfriſic. p. 161 ſqq.

(†) Quod Formulæ Concord. primum conſcriptæ, adſenſus in Dania negatus, nec ullæ hinc Theologorum in Cimbria ſubſcriptiones ad eandem impetratæ ſint, id equidem dubio caret: an vero & ipſe Concordiæ liber in Dania combuſtus ſit, id diſceptationi, in utramque partem agitatæ, adhuc locum fecit. Negantium & affirmantium utrinque nomina indicat noviſſimus in hac cauſa ſcriptor, Cl. LACKMANNVS noſter, in Introd. ad hiſt. Slesvico-Holſat. P. I. p. 647 ſqq. qui tamen, poſt adducta utriusque partis argumenta, nec ipſe certi quid determinare audet.

Digitized by Google

ſacro initiandi eſſent, fidem juratam ut aliis ſymbolis, ita & Articulis Smalcaldicis & Formulæ concordiæ ſeorſim nominatis, prius obſtringerent; quæ quidem res, licet Stephanum Clotzium, tum temporis Eccleſiarum Dano-Cimbricarum Præſulem, auctorem forte ſuaſoremque habuerit, haut tamen privato ejusdem auſu conſtitit, ſed publicam ſolemnemque, quam Regius Princeps vicario Patris nomine primum tribuit, atque poſthac etiam, ubi proximo abhinc anno ipſe ſceptro admotus eſt, ratam firmamque habuit, Formulæ Concord. auctoritatem nobis extra omnem dubitationis aleam ponere creditur. (*). Alterum, quod promiſimus, exemplum a *Pomeranis* adferimus. Namque & hi, quominus Formulæ Conc. auctoritati adſtringerentur, nihil non primum obmovebant; nimiusque, quo in Melanchthonem ferebantur, affectus id tum ab iis impetrari haut patiebatur, vt vel ex regentium tum Principum numero, vel ex ſacro quisquam ordine, nomen ſuum huic inſtituto adjiceret. (**) Sed tamen & apud hos demum pervicit veritas, quam Formul. Conc. ſincere intemerateque propoſuit: mox enim cum puritas doctrinæ Evangelicæ a corruptelis Calvinianorum quorun-

(*) Ipſa conſtitutionis Regiæ in hanc rem latæ verba, cum teſtimoniis huc facientibus aliis, jam produxit laudatus Io. Herm. ab ELSWICH l. c. § XXIV. p. 58 ſq. quibus, cum negocium hoc totum conficiatur, plura addere nihil attinet.

(**) Quanquam geſtæ hujus rei ſeriem dudum conſignarint alii ex ipſis ſcriptoribus domeſticis, Dan. CRAMER in Chronic. Eccleſ. Pomeran. Lib. III. Cap. 42. Io. MICRÆLIVS in Pomeran. antiqu. Lib. III. P. II. p. 601 ſqq. quibus exteros adde HVTTER. in Conc. concord. cap. XVIII. & LOESEHER. hiſt. mot. P. III. p. 259 ſq. & p. 288. omnium tamen horum induſtriam longe antevertit Cel. Iac. Henr. BALTHASAR, qui in Act. & Docum. ad Hiſt. Eccleſ. Pomeran. Collect. I. P. II. Cap. XII. ſqq. ſynodorum in hac cauſa decreta exhibuit integra, Collect. II. autem P. I. totam actorum ſeriem complexus eſt.

Digitized by Google

rundam, qui apud Sedinenſes aulæ Principali & ſacro etiam miniſterio ſe ingeſſerant, adſerenda & vindicanda eſſet, horum molitionibus haut melius obviam ſe ire poſſe ſtatuebant, qui veritatis amore ducebantur, quam ſi tres illos articulos, de S. Cœna, Perſona Chriſti & æterna Prædeſtinatione, Calvinianorum aberrationibus in Form. Conc. potiſſimum oppoſitos, ex eadem mutuarentur, eosdemque peculiari Confeſſionis Eccleſiæ Pomeranicæ titulo ornatos, ac publico etiam Pomeraniæ Ducum adſenſu munitos, Sedini 1593 exire juberent. Hæc res, quæ adeo Form. Conc. partem velut in ſinum auctoritatis ſymbolicæ apud Pomeranos ſuſcepit, ad integram illam eadem deinde dignitate mactandam quaſi viam paravit. Ducum namque Pomeraniæ ſtirpe nondum extincta, Statutis Theologici ordinis in Academia Gryphica hæc lex adſcripta eſt, ut ſymbola integro Concordiæ libro comprehenſa, in quibus Smalcald. Articuli & Form. Conc. ſigillatim nominantur, poſthac docendi norma eſſent: quod quidem cum omiſſo nunc prima vice Corpore doctrinæ Pomeranico præſcriberetur, hinc velut derogatæ auctoritatis ejusdem primum documentum fuit; atque ut locum ejus tum Concordiæ liber, facto ab ordine ſacro Academiæ Pomeranicæ initio, hoc modo ſurrogari cœpit, ita & in tota demum, quæ in Suecorum poteſtatem venit, Pomerania juſſum illud Regium Caroli XI. gl. m. quod Holmiæ 1688. d. 28. Jul. latum, & ordinationi Eccleſ. Pomeran. 1690. vulgatæ præfixum eſt, omnes ſacri ordinis viros hac lege, qua etiamnum tenentur, adſtrictos eſſe voluit. (*)

Ulti-

(*) Conf. laudatus BALTHASAR. ll. cc. jungaturque, cujus in concilianda F. C. apud Pomeranos auctoritate ſymbolica partes haut poſtremas fuiſſe exiſtimamus, Conr. Tib. RANGONIS Obex hæreticorum & Syncretiſt. Lib. II. Quæſt. XII. p. 340 ſqq. & noviſſime Io. Frid. BÆHRII

Ultimum hoc, quod ex Germania noſtra produximus, exemplum receptionis Libri Concordiæ, per quam & publica ſingulorum hoc volumine comprehenſorum ſymbolorum auctoritas ſimul comprobata eſt, nos manu quaſi ducit, ut, antequam dicendi finem faciamus, adhuc ad extera *Septentrionis regna* nonnihil divertamus, idque paucis ediſſeramus, quomodo ſacra apud Germanos primum a Luthero emendata, & ab horum regnorum Eccleſiis avide ſuſcepta, ſymbolis etiam, in Germaniæ Eccleſiarum uſum primum conditis, locum apud easdem fecerint. Non autem Confeſſionem Aug. duntaxat hic ſpectamus, utpote cujus receptionem infinita & ubivis obvia teſtimonia & documenta ſatis loquuntur; ſed ad integram iſtam ſymbolorum ſyllogen, quæ Concord. Libro continetur, hæc noſtra disquiſitio refertur. Equidem *Suecorum Reges* auguſtiſſimos ſceptro ſuo ſubjectorum Pomeranorum animos ad Form. Conc. obſequium demum adduxiſſe, modo diximus: ſed curam quoque haut minorem, pro ſalute ipſius gentis ſuæ Sueticæ, & pro integritate doctrinæ inter eandem ſervanda, eosdem impendiſſe, nunc nobis dicendum venit. Quicquid autem in hac cauſa geſtum, haut tumultuarie aut inconſiderate, ſed re bene deliberata demum conſtitutum eſt. Sacrum namque Suecorum ordinem matura ſua dudum huc contuliſſe conſilia reperimus. Cum ante hos centum annos famoſiſſimus ille Scotus, Jo. Duræus, Sueticæ genti doloſam irenen ſuam occineret, totius regni Clerus deſtinatis ejus obviam iturus, in comitiis regni Holmienſibus 1638. publicam declarationem exhibebat,

Orat. de hiſt. & fatis LL. Symbb. Eccl. Evang. in Pomerania, in Acad. Gryphica 1730 habita, quam poſt mortem auctoris Parens ipſius, Io. *Bæhr*, cum alia alterius filii orat. de hiſt. & fatis Ordinat. Eccl. Pomeran. publici juris fecit Gryphiswald. 1736. 4.

Digitized by Google

bat, in qua ad præſidium Aug. Conf. cummaxime ſe recipiens, eam haut alio ſenſu, quam juxta Apologiam & NB. Formulam Conc. intellectam & explicatam volebat. (*) Cum porro alii, in quorum partes & ex ipſis Suecis Jo. Matthiæ, Epiſcopus Stregnenſis, ſe pertrahere paſſus erat, eadem pacis conſilia agitarent, declarationem hujusmodi denuo repetierunt Epiſcopi & Clerus Sueonum, per quam & in comitiis Holmienſibus 1647. publice exhibitam, Reg. Majeſtati ſupplices fiebant, ut illa Concordiæ Librum publica auctoritate munire vellet. (**) Poſt hujusmodi ab ordine ſacro opportune factas monitiones, Regia demum in hanc rem ſancita tempeſtive ſecuta ſunt. Etenim Jo. El. Terſeri, Aboënſis Epiſcopi, poſt illas Jo. Matthiæ, rerum novarum molitiones decretum aliquod Senatus regni provocarunt, quod nomine Caroli XI. Regis adhucdum ætatis minoris, a. 1663. d. XIV. Aug. latum, Aug. Conf. juxta cætera Eccleſiæ Lutheranæ ſymbola & in his Articulos Smalcald. & Formulam Conc. rite explicatam, ut normam, ad quam omnia ſua dicta ſcriptaque exigant, omnibus & inprimis Academiarum & Eccleſiarum doctoribus diſerte præſcribit. (†) Cui ſanctioni firmamentum & robur denuo addidit Ordinatio Eccleſiaſtica Suecana, quæ ipſius Regis Caroli XI. auſpiciis a. 1687. promulgata eſt, in

(*) Declarationem hanc ſub tit. Cenſuræ Epiſcoporum & Cleri in incluto regno Sueciæ de inſtituto & actionibus Jo. Duræi &c. integram exhibet Conr. Tiburt. RANGO in *Suecia orthodoxa* P. II. Cap. XXIII. p. 161. ſqq. vid. inpr. ibid. p. 166.

(**) Alterius hujus declarationis verba recitat Esdr. Henr. EDZARD, in edita a ſe Altonav. 1720. 8. commentat. vernacula, de rebus Eccleſ. Suecor. (*Schwediſche Kirchen-Geſchichte*) p. 37 ſq.

(†) Integrum hoc decretum iterum ſubjicit RANGO l. c. P. III. Cap. X. p. 267 ſqq. lege inpr. p. 274.

Digitized by Google

in qua Cap. I. §. I. integer iterum Concordiæ Liber genuinus fidei & doctrinæ Chriſtianæ interpres conſtituitur, & omnes in regno Sueciæ ſacris muneribus præficiendi ſub jurisjurandi religione ad eundem obligantur. (*)

Ex *Dania*, altero Septentrionis regno, publicum hujusmodi, pro Libro concordiæ & ſingulis in eodem comprehenſis ſymbolis, auctoritatis ſuffragium haut quidem ita ut e Suecia afferre poſſumus: nam licet in terris Cimbricis, quæ Danico ſceptro ab antiquo paruerunt, ex ipſa Regia auctoritate dudum, ut ſupra eſt monitum, calculus eidem ſit additus; ipſius tamen Daniæ Norwagiæque regni, & quæ ad illud pertinent, adjacentium inſularum Eccleſiæ, in hunc usque diem ejusdem legis obſequio haut adſtringuntur. (**) Sed vero, quod jam ſuo tempore B. Leonh. Hutterus iterum iterumque monuit, negavitque, recuſatam Libri Concord. ſubſcriptionem haut quaquam inferre ejusdem improbationem: (†) id vel etiamnum de impetrata nondum publica ejusdem receptione locum habere poterit. Sane quos Dania ſuperiori ſeculo oſtendere potuit Theologus cordatos & orthodoxiæ præcipua laude

 conſpi-

(*) Et de hoc capite legatur RANGO l. c. Cap. XXIII. p. 341. it. J. H. BALTHASAR in Act. & Docum. ad H. E. Pom. Collect. II. p. 313 ſq. C. H. KOENIG in Biblioth. Agend. p. 165 ſqq.; adde, quod integer Liber Concord. in idioma Sueticum transfuſus, & cura Rein. BROOCMANNI eleganter typis exſcriptus, nunc proſtet, de quo jam dictum ſupr. in not. (**) ad p. 36. & quod noviſſimæ formulæ regiminis Sueciæ a. 1719 & 1720 eandem ſanctionem confirmarint, utrinque Artic. I.

(**) Documento eſt *Conſtitutio Regia* anno ſuperiori 1736. d. 2. Nov. de examine Candidatorum miniſterii lata, quæ libros Eccleſiæ Danicæ normales, poſt ſymbola antiqua, Conf. Aug. invariatam & Catechismum Lutheri minorem tantum commemorat.

(†) *Concordia Concord.* Cap. XXXV. paſſim & inprimis p. m. 938. & 944.

Digitized by Google

conſpicuos, hos veritatis doctrinæ, in ſymbolis Eccleſiæ Lutherano-Evangelicæ propoſitæ, amantiſſimos ac vel nullis inter ipſos Germanos in hac parte ſecundos fuiſſe, infinitis, ſi id opus eſſet, illorum teſtimoniis comprobari poſſet. Siſtimus tantum modo unum ex ineunte iſthoc ſeculo, eminentiſſimum Seelandiæ Epiſcopum, univerſæ Eccleſiæ Evangelicæ doctorem celeberrimum, Caſp. Eraſm. *Brochmandum*, qui quod ubique in ſcriptis ſuis prodidit, alicubi diſerte: (*) *Omnes*, inquit, *& ſinguli* γνήσιοι *Lutherani — pro confesſionis ſymbolis agnoſcunt Aug. Confesſionem, A. C. Apologiam, Lutheri Catechismum, Articulos Smalcald. & Formulam Concordiæ. Quos libros qui non probat, qui non propugnat, indignus eſt, qui Lutheranæ Eccleſiæ membris accenſeatur.* Adjungimus alterum ex adulto eodem & ad finem vergente ſeculo, Hect. Gothofr. *Maſium*, advenam quidem, ſed ex munerum, quæ obiit, dignitate præclarum Danorum civem factum: qui Daniam ſuam orthodoxam dedita profeſſaque opera tuiturus, ex eo potiſſimum, quod Eccleſia Danica ne latum quidem unguem receſſerit ab Aug. Conf. & reliquis Libris ſymbolicis Eccleſiæ Lutheranæ, id ſibi demonſtrandum ſumit; hocque argumento tantopere adverſarium ſuum urget, ut magna fiducia abs eodem poſtulet, dogma vel unicum Eccleſiæ Danicæ ut proferat, quod Libris ſymbolicis Lutheranorum contradicat. (**) Licet autem privatus tantummodo

(*) In *Lychno verbi prophetici*, oppoſito Chriſt. Wilhelmi Marchion. Brandenb. ſpeculo veritat. Pontiſic. P. III. Cap. VII. Sect. III. p. 161.

(**) H. G. MASII *Dania orthodoxa* &c. Sam. Andreæ doctori Marpurg. oppoſita, prodiit Hafn. 1689. 4 cui adde Vindicias ejusd. in Epiſtola ad Barth. Botſaccum ibid. a. 1691 ſcripta & edita, ubi vid. inpr. p. 8. ſqq. Utrumque ſcriptum & in Diſſertatt. Maſii, a Sev. Lintrupio 1719 junctim editis, habetur T. I. n. 25 & 26.

Digitized by Google

do ſit, quem tanti inter Danos Viri ſymbolis toto Concord. libro comprehenſis prabuerunt, aſſenſus, exemplo tamen is eſſe poſteris eorundem poteſt, ſiquidem honeſtiſſimum eſt majorum veſtigia ſequi, ſi modo recto itinere præceſſerint. (†)

Dum vero per hucusque dicta argumento etiam ſermonis noſtri auſpicalis, *de auctoritate ſymbolica Articulorum Smalcaldicorum*, quodammodo nos ſatisfeciſſe exiſtimamus, ad id demum officiorum genus, quod haut temere prætermittendum & piis votis & ſupplicationibus rite exſolvendum eſt, nos accingimus. Ac preces primum ad Deum dirigimus noſtras, velit ille depoſitum ſanctiſſimi & veraciſſimi ſui verbi, lucemque divinam per illud mentibus noſtris conceſſam, atque ſymbolorum beneficio integritati, claritati atque perſpicuitati ſuæ, inde a binis jam nunc ſeculis, in Eccleſia Evangelico-Lutherana reſtitutam & conſervatam, de ſuo haut movere candelabro; ſed ſupernam ſuam nobis ſubinde adſpirare gratiam, ut ab incuria, deſidia, aliisque noſtris criminibus per ſeriam tempeſtivamque pœnitentiam ad ipſum redeamus, avertamusque provocatam juſtiſſimam ejus iram, ne id nobis obtingat, quod juſto ſuo in

(†) Dicente C. PLINIO, Lib. V. Epiſt. VIII.

Digitized by Google

in alios judicio permiſit & etiamnum permittit, ut a veritate cognitionis ejus, ſymbolorum auctoritate rite in Eccleſiis ſervanda, diſcedentes, tradantur in ſenſum judicii omnis expertem ac omnino reprobum, ut non agant amplius, quod decebat i. e. quod pium, quod juſtum & quod honeſtum erat.

Servet Deus ſupremum ſollertiſſimumque horum depoſitorum apud nos cuſtodem, Regiam Celſitudinem, Principem ac Dominum noſtrum clementiſſimum, Dominum CAROLUM FRIDERICUM, patriæ Patrem, Rectorem Eccleſiæ & reipublicæ noſtræ religioſiſſimum, Academiæ etiam hujus ſuæ Magnificentiſſimum. Ut ille verbi divini, in ſacris literis revelati & in purioris Eccleſiæ ſymbolis repetiti, auctoritatem alta apud ſe mente repoſtam abunde declarat, non modo aſſenſum obſequiumque ipſemet eidem præbendo, ſed & injungendo id ipſum ſuis ſubditis crebrioribus & iterato repetitis ſanctionibus & præſcriptis, ad doctrinæ puritatem, ac vitæ morumque integritatem ſervandam retinendamque cummaxime comparatis: ita faxit Deus, ut ne hæc pia, hæc ſancta, hæc divinæ voluntati conſentanea deſtinata usquam ipſum deſtituant, aut omnino fallant,

Digitized by Google

fallant; ſed ut auctoritatis radii, qui ex divini muneris poteſtate in illo refulgent, omnium ipſi ſubjectorum animos percellant, & illorum aſſenſum, debitumque obſequium conſequantur. Accedat porro divinum robur, & pectus optimi hujus noſtri Principis non modo in his, ſed & in aliis regiminis principalis partibus iisdem dotibus firmet atque communiat. Det illi Deus, ut non modo voluntati ſubditorum, quod illi cum cæteris Principibus commune eſt, ſed ut & intellectui eorum porro feliciter imperet; quod fiet leges & decreta ad divinæ ſanctitatis normam, in rationis & revelationis lumine expreſſam, neutiquam vero ex nudo voluntatis beneplacito iisdem ferendo; quod item fiet, relinquendo locum conſiliis, non quæ voluntati duntaxat adulantur, ſed quæ vera, quæ pia, quæ juſta, quæ honeſta, juxta ipſius ſymboli tenorem, unice maximeque eidem ſuggerunt.

Fac ſumme & benigniſſime Deus, ut maximi Parentis maxima ſoboles, Celſiſſimus Sereniſſimusque Princeps hæres, CAROLUS PETRUS ULRICUS, optimi Patris in ſe expreſſam imaginem magis magisque referat ſimillimam; fac ut dotes & virtutes, quas te-

nella ejus ætas pridem in ſublimiori animi ejus indole nobis dedit contuendas, ſupra vulgarem omnino hominum ſortem poſitas, indies augeſcant, & cum annis adoleſcant, idque robur demum conſequantur, quod legitimæ & ſuis numeris abſolutæ auctoritatis documenta ſubinde præbeat, & cum connatis ipſi juribus conjungat. Fac integra ut *Domus Sereniſſima Holſato- Gottorpienſis*, cum omnibus ſibi agnatis atque cognatis, auguſtam hanc dignitatem, quæ Principum conditionem ſupra aliorum hominum ſortem evehit, quaque non modo aliis præſtant poteſtate, ſed & ſapientia & prudentia, tanquam decus ſibi a majoribus partum rite tueatur & omni, quæ poſt noſtram etiam memoriam futura eſt, ætati exempla ejusdem ſufficiat.

Fac denique omnibus & ſingulis, quorum conſiliis in republica ſacra & civili, literata & illiterata bene feliciterque adminiſtranda, regenda & quomodocunque domi foriſque juvanda, vel jam nunc apud nos locus, vel poſthac etiam futurus eſt, ut nunquam deſint legitima auctoritatis præſidia, ſapientia, veracitate & rerum gerendarum dexteritate cummaxime ni-

xa.

Digitized by Google